



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

IOAN. GVOLF. KIPPINGII 2,

IVR. DOCT. SERENISSIMI DVCIS BRVNOVICO-LVNAEBVKGICI
A CONSILIIIS AVLAE ET IN ACADEMIA IVLIA-CAROLINA
IVRIS PVBLICI ET HISTORIARVM PROFES-
SORIS P. O.

DE

HISTORIAE
EIVSQVE NOMINIS ABVSV
COMMENTATIO

CVM

SYLLOGE EXEMPLORVM

HISTORIAE EIVSQVE NOMINIS ABVSIONEM
IN IVRE CVM PRIVATO TVM PVBLICO

ILLVSTRANTIVM.



BRVNSVIGAE

SVMTIBVS B. SCHROEDERI VIDVAE.

M DCC XXXXV. ized by Google

17

17

SERENISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO
DOMINO
ERNESTO AVGVSTO

SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE ET
MONTIVM DVCI
SACRI ROMANI IMPERII PRINCIPI etc.

DOMINO SVO LONGE
CLEMENTISSIMO

HANC
DE
HISTORIAE EIVSQVE NOMINIS ABVSV
COMMENTATIONEM

SVBIECTISSIME

DAT DEDICATQVE

IOANNES GVOLFGANGVS KIPPING.

SERENISSIME PRINCEPS,

DOMINE CLEMENTISSIME!

Iam dudum ad TE meus recta contem-
dit deuotissimus animus, ante no-
vem annos admiratione gratiae TVÆ
praesens obstupefactus, seque memorem
beneficiorum, tum in me clementissime
collatorum, praestare gestiens. Non au-
tem demississime solum ad TANTVM ve-

*

3

Digitized by Google

nire

nire PRINCIPEM, sed etiam suum digno
accessum aliquo vel chartaceo munuscu-
lo, atque diligentiae specimine, ornare,
cum deceret mei ordinis hominem, te-
nuitatis meae conscientia satis diu re-
tractum me atque repressum tandem vi-
cit et erexit officii vis, grataeque mentis
impetus. Accipe igitur SERENISSIME
ac CLEMENTISSIME PRINCEPS! libel-
lum, DIVINO NOMINI TVO consecra-
tum, leuem quidem, maximae tamen
reuerentiae et pietatis erga TE meae fide-
lem interpretem, testemque studii ope-
raeque, adhuc cupidissime a me inge-
nuis datae artibus, quas adeo apud TE
in honore esse cognoui, vt earum TIBI
semper curae cordique sint augmenta et
ornamenta. Non enim modo quatenus
T VIS in terris, illoque cum primis sapien-

tiae et virtutis domicilio, Salanis in Athenis, summa cum fide animique contentione, excoluntur et adiuuantur literae, sed quatenus vbiuis locorum aluntur, et incrementa capiunt, hactenus TIBI placent, hactenus reipublicae, cum sacrae, tum ciuilis, communi vsui, TVO applausu, TVO exemplo, TVA auctoritate, accommodatur doctrina, aptissimum prudentiae instrumentum, rerum optimarum semen, veraeque fundamentum beatitudinis. Maeste virtute et felicitate esto AVGVSTE DVX! FRIEDERICORVM, et PLACIDORVM, et SAPIENTIVM, et MAGNANIMORVM, DIGNISSIMA PROGENIES! Vtere quotidie confirmatiore valetudine! Flore, vti beneficiis, et ingenii laude, sic AVGVSTI GENERIS TVI, for-

tunarum, et gloriae perpetua accessio-
ne! Nihil eorum TIBI, CELSISSIMAE-
que TVAE vnquam desit FAMILIAE,
quae magna sunt, quae immortale no-
mini decus parant, vnde non ad TVOS
subiectos modo, sed ad humanum ge-
nus vera manare salus queat! Scribe-
bam in Academia Iulia-Carolina, pridie
Nonarum Iunii, Anno MDCCXXXV.





PRAEFATIO.

Quatuor anni sunt, quum publice promisi atque recepi, de *usu et abusu historiae* commentaturum me esse. Hanc fidem quando serius, quam cogitaueram, liberare mihi datum fuit, id e re publica futurum sit, nec ne? hoc est, vtrum magis, an minus, concitatum expectationem sit expleturus in lucem nunc prodiens libellus? scire quidem, aut diuinare nequeo: hoc scio, magis elaboratum exire, quod maiore indigebat meditatione et studio, de HISTORIAE EIVSQUE NOMINIS ABVSU opusculum, tametsi de usu parum loquitur. Non enim quod ante decreveram stetit. Mutavi propositum simul et de *usu historiae* plenius scribendi, cum eam iam ab aliis satis ornatam cogitarem Spartam, alteram contra, nempe *abusionis explanationem*, neglectam, et iacentem viderem. Vix enim quispiam, praeter ILLVSTREM MOSERVUM, optimum, et de republica praeclare meritum

**

vi-

PRAEFATIO.

virum, quid detrimenti res publica capiat ex *abufu hiftoriae*, obferuauit, fed obiter faltem obferuauit ILLE in *Praecognitis iuris publ. Germ. cap. IV. §. 9.* Quare non vltra, quam ad *abufum hiftoriae eiusque nominis* demonftrandum duxi neceffarium, *veri et laudabilis hiftoriae vfus* habui rationem, plura defiderantibus reiectis ad BERNARTIVM, et alios laudatos auctores, quibus facile feccentos alios (*) potuiffem adiungere. Accessit, quod multum effe in vfu hiftoriae exponendo noftris temporibus conuenire haud videretur, fi maxime noftris conueniret moribus. Cantant alii plus, quam vtile eft, (etfi verum eft,) *gnauiter effe vtendum hiftoria ad tuendum ius publicum.* Vtinam vero ad tuendas, non ad euertendas, respublicas, hiftoria vteremur! Vtinam magno memoriae praefidio, teftaque temporum, vel eius nomine, non magis offeremus, quam proficimus! Vtinam ad componendas, non ad mouendas lites iniuftas, ad impediendas, non ad parandas calamitates et clades, ad augendam et confirmandam veritatem, non ad minuendam et demergendam in
pro-

(*) NICETAM, NICEPHORVM GREGORAM, BARBEIRACIVM etc.

profundum, adhiberemus antiquitates! Sed non magis ad sananda reipublicae vulnera valent exclamationes, quam nenia praeficae ad mortuos excitandos. Consilium expetit res, quam turbavit abusus et vitium: tantoque magis expetit, quanto latius patet, quanto augustioribus nobilitata est exemplis perniciofa rebuspublicis *historiae abusus*, immo quanto magis occulte serpit, variis integumentis inuoluta, vt modo veri et iusti specie aliis imponat, modo ipsum, qui abutitur, decipiat, vt iustissime agere se credat, (adeoque boni viri nomen vere tueatur,) dum aliis iniuriam infert, talem saepe, quam nullus color, nulla species, nulla ars tegere et occultare potest, praeter nomen *historiae*, in locum iuris hodie suffectae. Sunt enim, qui ius et fas, publicum maxime, ex legibus recte hauriri negant, et ex historia hauriendum esse putant: quorum errorem MOSERVS loc. cit. scite coarguit, et corrigere studuit, nosque depellendum suscepimus, vnde praesens nata est commentatio. Sed exemplis cum apertiolem, tum ornatiolem, facere rem decet Historiarum doctorem. Ecce recentissimum! Quae nuper facta sunt, atque fraude et perfidia facta esse,

aiunt Germani, (si non omnes, certe pluri-
mi,) cum transactionem et foedus Anno
MDCCXXXV. Viennae ictum, (sicuti plura
ante alia,) mortuo CAROLO VI. Imperatore,
violassent Galli, ea ego errore facta esse arbi-
tror, nec umquam mihi persuaderi poterit,
Gallos, homines, eosdemque sagacissimos, ve-
re existimare, (quamvis ad minuendam vel ce-
landam rei indignitatem prae se ferant,) *foe-
dere salvo id fieri potuisse, quod ne fieret, pa-
ctum et iuratum est, data et accepta est fidei
servandae maxima merces, Lotharingia.* Certe
quid respondeant, non habent, ubi ad eorum
excusationem regeritur: *si per foedus anti-
quum non licuit, novi legibus stare, nec novum
facere, nec facti praemia capere oportuit.* Est
enim rationis dictatum: *aut pacta esse servan-
da, aut quae servare non posse nos sentimus, ea
non esse paciscenda.* Aliud igitur sit, necesse est,
quod impediatur, quo minus nequiter fecisse se,
cognoscant, quo minus conscientiae sollicitu-
dine vexentur. Nempe error ille est, in quo
ab adolescentia versantur, vel potius quem
cum lacte nutricum suxisse videntur: *ad Gal-
los adhuc pertinere Germaniam, quae Caroli
M. temporibus ad eos pertinuit.* Capitalis hic
error

error plures necessario genuit alios, et in posterum geniturus est, nisi demum Gallis eripiatur: huncque etiam sine dubio genuit: *magnam ab iis inire gratiam Gallos, quibus rei, quam suam esse putant, siue totius, siue partis, usum fructum permittunt, donec commodam repetendi occasionem nanciscantur. Interim parvi referre, quale suo beneficio imponant nomen: nec enim consilia sua dissimulare vetitum esse.* En magis honestam, quam reliquas, vtut erroris plenam, factorum excusationem! Error hic, si dogma a specie proposita, Philosophorum more, abstrahimus, aut hoc sibi vult:

Quidquid vniquam cuiusquam fuisse historia docet, id ad eundem eiusque posteros perpetuo pertinet, nec vniquam eius esse desinere potest.

aut illud:

Quicumque populus, (vel cuiuscunque populi rector,) talem sanciuit legem: vt ne vniquam de suo quidquam ad alium, contra ab aliis quidlibet ad se transire possit, illius populi vel rectoris ius semel acquisitum nunquam perit, et qualibet occasione data vrgeri potest, verbis, et armis.

Vtram harum opinionum imbibamus, falli nos,

PRAEFATIO.

vel inde patet, quod alteram ipsa rerum humanarum natura et conditio respuit, altera nemini profutura est, si quilibet populus talem sibi legem constituit, qualem sine dubio quisque liber populus vel princeps, eodem iure describere potest, quo alter iam descripsit. Dogmata haec etsi non tam ad historiae, quam ad iuris rationes pertinent, magisque iuris, quam historiae abusum redolent, tamen vtriusque, iuris et historiae fines et officia ita confusa hodie sunt, doctorum culpa, ut finium regundorum iudicio necessario experiendum esse videatur. Quo iudicio experiri, si mihi homini privato non licere, putat aliquis, certe doctori illud instruere licebit iudicium, quod doctores tot tantisque difficultatibus et erroribus implicauerunt, ut quid verum et iustum sit in causis illustribus, reperiri amplius vix possit. Certe bono viro, bono ciui, patriae consulere et prouidere licebit. Certe Iuris consultum omnia circumspicere, quaeue, et a quibus cauenda sunt, ut caueantur, monere decebit. Feci periculum, instruxi, circumspexi, monui, ex quo docendi prouinciam administraui. Factum id et in hoc libello a me esse, neminem male habere poterit, nisi veritatis-


P R A E F A T I O.

tatis, iustitiae, et communis vtilitatis inimicum. Quae praeterea partes agenda mihi restant, etiam bona fide agam, donec de praesidio et statione decedere imperabit Deus. Ceterum multa quidem suppetebant, quibus praesentis Commentationis meae augere capita potuisssem, nominatim ad Cap. I. §. XXII. et XXIV. PERILLVSTREM GVDENVM, ad e. §. XXIV. VKEDVM, GVICHENONIVM, LOBINEAVVM, BVCKENIVM, MIRAEVM, BALVZIVM, LVCKIVM, MOLINETVM, MENTRIERIVM, et plures alios laudare, ad §. XXV. GOROPIVM, BECANVM, RVDBECKIVM notare, ad §. XXVII. BIERLINGIVM, ad §. XXVIII. TILEMANNVM, DEGOREVM WHEAR, BOSIVM, LANGLETVM FRESNOYVM, et alios, multis nominibus commendare licuisset, si de *usu historiae* ex instituto differere animum induxisssem. Satius erit, otio maiore dato, confirmare vtilissimam et saluti publicae amicam sententiam:

Historia sic vtendum esse, vt ea, eiusque nomine non abutamur, nec abusum pro usu habeamus.

Dabam in Academia Iulia Carolina, Calendis Iunii, A. R. S. MDCCXXXV.

INDEX



INDEX

CAPITVM COMMENTATIONIS.

- I. De natura historiae.**
- II. De vero et laudabili historiae vsu,**
- III. De abufu historiae.**
- IV. De abufu nominis historiae.**

CAPITA SYLLOGES.

- I. De abufu historiae in iure ciuili.**
- II. De abufu historiae in iure criminali.**
- III. De abufu historiae in iure publico.**



PROOE-



PROOEMIUM.

§. I.



erum gestarum memoria ita delectantur nostra tempora, quibus omnes cultioribus animis, quam maiores, uti cupimus, ita ardent historiae studio; ut ipsum *seculum recte historicum* dici possit, pari ratione, atque doctissimus Anglus GUILIELMVS CAVE omnes post Christum natum aetates, ab illis rebus, quae homines vel beauerunt, vel fatigarunt, certis nominibus notavit, aliud *seculum Apostolicum*, aliud *Gnosticum*, aliud *obscurum*, aliud *Scholasticum* etc. haud inepte appellans. Tantam enim ad commouendas et fingendas mentes vim habent exempla et antiquitas, quantum in aliis rebus vix cernimus: vnde *historiam*

A
non

non testem modo temporum, nunciam vetustatis, lucem veritatis, et vitam memoriae, sed etiam magistram vitae scite nuncupavit eloquentiae parens, et *magis exemplis, quam praeceptis duci homines*, alius iure existimavit vir sapiens, quisquis ille fuerit.

§. II.

Verum enim vero quod in caeteris rebus fit, ut, quae ad salutem datae sunt, eas in pestem facile convertant homines, modum in rebus perraro tenentes, nec eas ad fines, quorum ergo sunt, omni tempore et loco referentes, id etiam in hoc studiorum genere usu venit. Sunt enim, qui, dum in antiquas res incumbunt, magno malo publico praesentes euertunt. Quod innumeris documentis cum priuatis, tum publicis, probare possemus, nisi paucis ciuitatis Germanicae exemplis id suo loco probasse sufficeret. Nam praenimio historiae studio, vel potius per illius abusum, prope omne ius et fas, idque potissimum, quo res publicae reguntur, earumque moderatores vtuntur, inter ipsos amisimus triumphos, quos certi doctissimi viri de barbarie in hoc iure deniicta egerunt, et inter plausus ob repertos et reclusos veros iuris publici fontes, quos tamdiu obstructos in occulto latuisse, fatis affectate doluerunt: quasi vero communi consulere utilitati vnquam constituissent illi, ac non eam, priuati commodi causa, suis artibus, inter quas historiae eiusque nominis abusus principem tenebat locum, perfundare decreuissent. Talium hominum nefariis ausibus obuiam iri, e republica planissime esse arbitramur. Id autem salua historiae dignitate fieri debere, nemo

nemo non videt. Cauendum enim est, ne fractis et afflictis rebus medicinam afferre conando, res ipsas perdamus.

§. III.

Itaque operae pretium sine dubio erit, ante oculos accurate ponere, quid ad egregium publicum faciat historia, quidue contra, vbi vel antiquitatis iter male dirigimus, et ex rebus olim gestis talia colligimus, quae nostris temporibus nocent, remque publicam iniquis postulationibus et iuribus animo praesumtis miscent, vel nunquam gesta historiae nomine velamus, et ita vanum fictumque pro vero et certo ponimus, magnificis mentientes verbis antiquitates, quas nunquam vidit aut cogitauit antiquitas. Quod imprimis ab iis fieri videmus, qui res sacras. ab ipso Dei Spiritu summo studio definitas, ex antiquitate illustrare conantes, eisdem potius crassas obducunt tenebras, idque agunt, vt certissimas veritates diuinas suis illustrationibus, immo vero ruentium antiquitatum onere, labefactent et opprimant, omnemque demum diuinitus reuelatam religionem aboleant.

§. IV.

Hanc abusuum notandorum et corrigendorum prouinciam, ab aliis neglectam, vel in transitu administratam, diuino praesidio suffulti, nunc singulari studio ornandam suscipimus, nullam forte a certis hominibus initari gratiam, quam vero reipublicae damno redimere semper nobis religio erit, semper nobis stabit publicis commodis prae priuatis seruire, nec enim vn-

quam ex animo nostro effluet honestum illud veteris scriptoris dictum: *Stulta avaritia mortalium nequicquam suum credit esse quod publicum est: at sapiens nihil iudicat suum magis, quam cuius illi cum humano genere consortium est.*

§. V.

Vt igitur ratione et via nostrum procedat institutum, has Dissertationis praesentis partes constitui-
mus :

- I. Naturam historiae exponemus.
- II. Verum et laudabilem historiae usum demonstrabimus.
- III. Historiae abusum explicabimus, variis illum nobilissimis exemplis illustraturi.
- IV. Abusus nominis historiae in quo consistat, docebimus, et nonnullis, cum ex re sacra, tum ex profana repetitis speciminibus dilucidabimus.

CAP.

CAP. I.

DE

NATURA HISTORIAE.

§. VI.

Historiae naturam considerantes alia ei necessario conuenire videmus, alia vtiliter, h. e. quo magis officium suum faciat. Illa *essentialia* (a) dicere nihil prohibet, praeter eorum fastidium, quos subtilitates scholam redolentes vehementissime offendunt. Nos paucis et plane ad naturam historiae ea pertinere statuimus, sine quibus officium suum nullo modo facere potest. Quae nunc sedulo excutiemus: nec tamen prorsus philosophicis meditationibus superfedebimus, nisi sine ratione existimemus, in historia, et quod ex illa manat iure versantes ratione vti non debere, quaeque ad penitiorum rei cognitionem necessaria sunt, eam ob causam negligenda esse, quod e Philosophorum schola arcessere ea oporteat. Nos merito magis

A 3

quid

(a) *Essentiam historiae* et alii aduerterunt, eamque a reliquis illius partibus probe distinxerunt, nominatim VBERTVS FOLIETA *de ratione scribendae historiae*, in GRAEVII *thesauro antiquitatum et historiarum Italiae* T. I. p. 1193. *Prima, inquit, historiae professio et commendatio est veritas, atque adeo ipse historiae essentiae pars et forma, qua detracta, historia vim et nomen suum retinere nequit.* LE PERE DANIEL dans la *Praeface de l'histoire de France* pag. XVIII: *La premiere qualite qu'ils demandent dans un historien, est la sincerite et la verite: c'est en effet son devoir le plus essentiel.*

quid res postulet, quam quid homines laudent, vel vituperent, spectamus.

§. VII.

Primum igitur eorum, quae sub rationem historiae cadunt, est differentia *cognitionis historicae et philosophicae*. Illa in nuda facti notitia subsistit: haec rationem facti explicat, ut intelligatur, cur aliquid possibile sit. Cognitionis enim historica est cognitio eorum, quae sunt aut fiunt. Philosophica contra, est cognitio rationis eorum, quae sunt vel fiunt: ratio autem est id, unde intelligitur cur aliquid sit aut fiat. (b)

§. VIII.

Equidem ad plenam et perfectam, vel uti dicunt pragmaticam historiam, pertinent etiam rationes factorum et consilia hominum. Sed recte eruditissimus WOLFFIVS, aetatis nostrae decus, qui nouit (ait) (c) *quam rationem facti alleget alter, is habet historicam cognitionem cognitionis philosophicae alterius. Qui vero rationem facti vel rei ab altero allegatam demonstrare non nouerit, is cognitione philosophica eiusdem facti vel rei destituitur.*

§. IX.

Non vacat hic explanare, quid sit *scientia, demonstratio, probatio, veritas, experientia, et probabilitas*, quippe quod alterius loci et officii est: licet harum notionum

(b) ILLVSTRIS WOLFFIVS in *Philosoph. ration. Cap. I. §. I.*

(c) IDEM l. c. §. 8. et 9.

tionum expers de historiae rationibus parum prudenter iudicare queat. Quare nec nostrum consilium ex sententia procedet, nisi expeditum sit, historiae vim non certitudine apodictica niti, ut fallere haud possit, hoc est, veritates historicas quae tales non demonstrari, sed tantum probabiliter probari posse. (d)

§. X.

Et si enim historiam veram esse oportet, ut nomen suum tueri, et a fabula secerni possit, atque hactenus sanum est VERTI FOLIETAE (e) iudicium, *historiam*

- (d) Excipienda sunt testimonia diuina, quae ex auctoritate, imo ipsa notione Dei, plus quam demonstratiuum robur habent.
- (e) Libro citato, p. 1192. *Quamuis, ait, apta, ornata, copiosa, elegans sit narratio, quaeque omnia locis, temporibus, personis conuenientia plane seruet, consilia apte et luculenter explicet, egregiis descriptionibus situs locorum, formas urbium ac munimentorum, instructionis acierum, ordines proeliorum, discrimina et casus ante oculos ponat, ac veluti in rem praesentem legentium animos inducat, ac pro auditoribus spectatores faciat, omnibus denique eloquentiae et artis numeris expleta sit, si VERITAS in illa desideretur, decoram quidem et aptam fore narrationem, at historiam non dico falsam et prauam, sed nullam omnino futuram: contra si rudi et incomto scribendi genere litteris sit mandata narratio, neque vllas partes ex iis habeat, quas rhetorum praecepta praescribunt, omnibusque ornamentis plane sit orbata, ad hoc consilia et causas inepte explicet, res gestas confusa narratione obscurer, ac pro eo ut lucem afferat, tenebras rebus offundat, veritas tamen adsit, vilem quidem et ineptam, ac despiciendam rem fore, historiae tamen vim et nomen retenturam. Magnopere igitur normae similitudinem a Polybio commentam, veluti rei mirifice aptam, probant: ut enim, inquit, norma ex auro et ex quamuis pretiosa materia facta, si recta non sit, res quidem pretiosa est, at norma nullo modo esse potest: quam enim norma causa dirigendi operis inuen-*

*riam nihil aliud esse, quam veram rerum narrationem; imo etfi nec experientiae negant nomen scientiae philosophi, quoad illa firma demonstrandae veritatis principia suppeditat, quod nominatim de historica cognitione etiam concessit ILLUSTRIS WOLFFIUS: (f) tamen multum interest inter auctorem historiae, et lectorem vel auditorem. Ille omnino scire, quae narrat, hoc est, vere facta esse, vel existere, certis rationibus conuictus esse et debet, si facta, non ficta memoriae prodere velit, et potest, si omnia requisita ad veritatem huius generis, siue ad experientiam in promptu sint. Id quod ipsum historiae nomen prae se fert: nam historia dicta est ab ΤΣΗΜΙ, *scio*, ex εἶσω futuro inusitato verbi εἶδω, *factum esse*. Vnde ΙΣΤΩΡ, *sciens, peritus*, et ιστορία, *cognoscendi studium*, ιστορικὸς, *historicus*. (g)*

§. XI.

Aliter se res habet illius causa, cui facta narrantur. Nam hic ex aliis principiis, quam prior, de veritate factorum conuincitur, vel plane non conuincitur. Auctor

inuenta sit, munus suum praestare non potest, nisi recta ipsa sit, quare ne norma quidem erit; contra si recta sit, ex quamuis vili materia fabricata, nullius quidem pretii erit, sed norma tamen erit: ita quum idem sit verum in historia, quod rectum in norma, efficitur id, quod diximus, vt falsa narratio neque sit, neque appellanda sit historia, quamuis omnibus verborum et sententiarum luminibus illustrata, ac politissimo genere conscripta; contra vera, quamuis sordida, et inops atque inepta, re et nomine sit historia.

(f) libro laudato §. 35.

(g) vid. HENRICI STEPHANI thesaurum graecae linguae, voce ΙΣΤΩΡ.

stor historiae, (de principe eius genere loquimur, quod ex ἀποψία pendet,) ideo scit facta, quod iis interfuit: Eius vero, cui facta narrantur, notitiae fundamentum omne in *narrantis auctoritate* positum est, quod quam fallax et lubricum sit, nunc videbimus.

§. XII.

Scite **CARDINALIS SFORTIA PALLAVICINVS** (h) *quisquis inquit historiam scribit, solam testis personam agit: narrat, haud probat.* Nam nec testes proprie probant; quum possint falli et fallere. Testimonium ergo tantum probabilem constituit probationem. Quidquid narrant testes, non scitur ab alio, sed creditur, vel ei fides habetur. Historica igitur fides non maior est testium fide.

§. XIII.

Accedit, quod testium fides in magni momenti rebus apud praetorem iureiurando fulcienda et firmanda sit: quo praesidio per se non indiget historica fides. Quis enim vnquam ab historico iurato res exegit? (i) Nunc vero quam saepe conceptis verbis peierent testes et alii, experientia loquitur. Quo minus ergo dubium est, in historicos non paucos illud conuenire **TULLIANVM: natura, frons, oculi, vultus, persaepe mentiuntur, oratio vero saepissime.**

§. XIV.

(h) Historia Concilii Tridentini C. II. §. 1.

(i) **SENECA** de morte Claudii, sub initium.

§. XIV.

Fides est opinio vel praesumptio veritatis, siue de sententia Philosophorum, assensus, quem praebemus propositioni alicui propter auctoritatem vel testimonium dicentis. (k)

§. XV.

Auctoritas illa, quae homines in opinionem vel praesumptionem veritatis adducit, fidemque testimoniis facit, certo fundamento nitatur oportet, hoc est, ne fides in credulitatem, vel in fidem carbonariam degeneret, *certi esse debemus, tum quod ipse testis vel historicus norit veritatem eius, quod narrat, vel asseuerat, tum quod vera dicere velit: (l) Quodsi probabiliter saltem nouerimus, quod alteri veritas eius, quod narrat, fuerit perspecta, vel quod vera dicere velit, fides non nisi probabilis est: si utrumque certo nouerimus, fides quoque certa est. (m) Enim vero certi non sumus, testem veritatem eius quod narrat nosse, nisi certi simus, eum et praesentem factu interfuisse, et omnibus facti circumstantiis attendisse, et singula, quae sensu assequutus est, memoriae infixam retinuisse, et quae nouit, verbis propriis enunciare potuisse. (n) Qui narrat, quae praesens*

(k) WOLFFIUS loc. cit.

(l) WOLFFIUS loc. cit. §. 613. E tanti Philosophi schola repetere principia cognitionis historicae, satius esse ducimus, quam demonstrationis nostrae fundamenta cum aliis in lubrico locare. Caeterum illa principia eadem esse, atque quibus fides testium in iudiciis nititur, vel solus Titulus Pandectarum de Testibus probat.

(m) IDEM §. 614.

(n) Idem §. 615. FOLIETA loc. cit. pag. 1192. *Quare probe fixa et stabilita*

sens sensu dace affecutus est, dicitur testis oculatus: qui vero narrat, quae ab altero audiuit, testis auritus vocatur. (o) Testis auritus ea, quae ab oculato audiuit, memoriaeque accurate mandauit, verbis propriis enuncians, testi oculato aequiuales. (p) Si testis oculatus, vel qui oculato aequiuales auritas, quasdam facti circumstantias obliuioni dederit, is facti veritatem non amplius nouit. (q) Si testis oculatus, qui veritatem facti nouit, memoriaeque infixit, eandem verbis ambiguis vel vagis aurito narrauit, testis auritus veritatem facti alteri tradere nequit. (r) Si testis oculatus suum de facto iudicium cum ipso facto confundit, auritus id non aduertens facti veritatem non assequitur. (s) Si quis sciens et volens falsa narrat, is vel falsa narratione boni quidpiam consequendum intendit, vel ex vera mali quidpiam metuit. (t) Si qua in narratione

B 2

conti-

stabilita ita disputant, ad veritatem rerum, quae explicandae sunt, perueniri nullo modo posse, nisi ab iis viris, qui res ipsas tractarunt, quique rebus gerendis et consiliis interfuerunt, ac veras et certas, non autem commentitias, ac vulgo et forensibus iactatas causas cognouerunt: ii autem sunt, qui ad interiora principum consilia addibiti sunt, qui in liberarum ciuitatum senatu fuerunt, qui legationes obierunt, quorum opera in foederibus sancendis, in conditionibus pacis componendis, in belli consiliis explicandis, multum diuque fit versata, quique exercitus duxerint, praелиis interfuerint, discrimina subierint, belli subita et improuisa subinde exoriente cognouerint, quae vulgo ignota Duces saepe coegerint, suscepta rerum gerendarum ratione omissa ad nouos casus noua consilia accommodare.

(o) WOFFIUS loc. cit. §. 616.

(p) Idem l. c. §. 617.

(q) Idem l. c. §. 618.

(r) Idem l. c. §. 619.

(s) Idem l. c. §. 620.

(t) Idem l. c. §. 621.

continentur, quae vel sibi mutuo, vel veritati certo agnitae repugnant, narratio illa falsa est. (u) Plura huc ex Philosophorum scriptis transferre haud est opus, quando haec explicandae rei nostrae sufficiunt, nec probatione vel explicatione indigere videntur, quippe per se plana sunt. Vrgenti vero probationem ILLUSTR. WOLFIVS loc. cit. cumulatissime satisfaciet.

§. XVI.

Quodsi quis putet, nos Philosophorum vestigiis plus insilire, quam rerum humanarum, ciuiliū imprimis, conditio fert, illum vir in ciuili pariter, atque sacra re, omnique humanitate versatissimus, HERMANNVS CONRINGIVS corrigere potest, ad certitudinem historicam aequè requirens, *ut certi simus, testem, qui aliquid perhibet, et certo nouisse, et bona fide quod nouerat prodidisse.* (x)

§. XVII.

(u) Idem loc. cit. §. 622.

(x) In Epistola ad IOH. EISENHART Anno 1679. data, in qua dignissima habet, quae huius materiae illustrandae causa hic repetantur. *Fidei inquit humanae certitudine non tantum omnes praeterito tempore initi hominum contractus, adeoque societatis humanae pleraque negotia sibi constant, sed nituntur quoque bonam saltem partem ipsae scientiae atque artes, quotquot non solo intellectu, sed etiam experimentis acquiruntur, quales sunt in uniuersum cunctae, si eas, quas mathematicas puras scholae appellant, exceperis. Fateor enim ego quidem, scientias illas atque artes a propria experientia firmissimum accipere posse quasi fundamentum; attamen omnia experiri non possumus ipsimet nos, et quamplurima talia alii iam obseruauerunt, nobis inexperta; ad hoc saepenumero fallit homines credita experientia, ut proinde opus*

§. XVII.

Ex quibus perspicuum est, quod ad primum fidei faciendae requisitum attinet, plurimum fidei illis habendum esse, quibus ex ἀποψία constat, hoc est, qui ipsi rebus gestis interfuerunt, uti THUCYDIDES. Sed

B 3

inter-

opus sit aliorum quoque contestata approbatione: Hinc autem consequens est, ad comparationem scientiae suae artis alicuius id genus alienam testantium fidem consulere omnino esse necessarium. Iuris prudentia quemadmodum circa iam ante gesta in facti quaestionibus multa solet iudicare testium fide: ita legum suarum auctoritatem accipit a testimoniis, quae de legum aut ipsa latrone, aut prisca et constante interpretatione sunt prodita. Quid? quod et reuelata omnis religio, hodie quidem, certitudini humanae fidei innixa sit. Reuelata inquam: quoniam illa, quam naturalem vulgo nuncupamus, ex iis, quae in sensus semper incurrunt, satis ἀποδεικτικῶς manifesta est; etiam illa tamen plurimum roboris demonstratiui nanciscitur ex narratione eorum, quae ab orbe usque condito contigerunt. Ceterum ipsamet reuelata nostra religio tota, quanta quanta est, ad nos denique peruenit scriptis Propbeticis atque Apostolicis, narrantibus ea, quae diuinitus suae facta sunt olim, suae iussa aut vetita: ut et scriptorum istorum fideli ad posteritatem traditione. Imo non aliud fundamentum religionis suae suae Mahumedanae, suae hodiernae Iudaicae, suae Bramanicae, suae Sinensis, suae alterius alicuius, miseri earum cultores aut possunt aut solent vel obtendere. Ita nempe docuisse olim Mahumedem, ita Rabbinos priscos, ita Bramam, ita Confusio, ita alios fide dignos magistros. Quin igitur illud, quod suscepisti excolere, Praeclarissime Eisenharti, argumentum perquam fit nobile, amplum, et maximi momenti, nemo prudens temere dubitauerit. Recte vero etiam docuisti probastique, fidei illius historicae per esse magnam quidem diuersitatem, quandam

vero

interfuerint oportet a) animo attento ad circumstantias, et b) ingenio ad indagandum et odorandum apto. Quae ex rationibus scientiae, quas reddunt testes, iudicanda sunt. Eis etiam credere par est, qui ex aliorum fide dignorum relatione narrant. Requiritur ergo ut auctores suos laudent, (y) Sin minus, laborat illorum fides. Quo quis autem remotior fuit vel a loco, ubi res gesta, vel a tempore quum gesta est, (z) vel ab

vero adeo esse certam, ut fallere et falli nequeat, ac proinde vim habeat perfectae demonstrationis. Et vero intolerabilis est illa multorum assertio, aptaque euertendi omnem humanam vitam, omnes scientias, omnes artes, omnem religionem, quod in uniuersum omnis historica traditio moralem dumtaxat fidem mereatur, quae sit cum formidine falsi coniuncta, adeoque δοξαζικὴ quidem, non ἐπιστημονικὴ tamen. Requiritur sane ad certitudinem hanc historicam, uti sis certus, testem illum, qui aliquid perhibet, et certo nouisse, et bona fide id quod nouerat prodidisse: quale quid raro solet occurrere. Nec negauerim, in ciuilibus fori negotiis semper usque adeo accuratam certitudinem haut fortasse postulari. Quin tamen illa undequaque perfecta certitudo possit de quamplurimis in promptu esse, ad religionem porro ante omnia, ut et ad scientias atque artes esse illam necessariam, equidem haud dubito intrepide profiteri. Conf. I. EISENHARDI Comment. de fide historica, Cap. VII. §. 5.

- (y) In omni historia scriptoris, eiusque studiorum, rationum scientiae, caussarum scribendi, praesidiorum et auctorum, quibus usus est, ratio est habenda. *Conf. LANGLETUS FRESNOYVS in Introduc. in Studium Hist. C. XVIII.*
- (z) Historici ergo famae et auctoritati suae consulere cupientes nihil temere ponunt, nec testes proferunt, nisi qui aut illi saeculo proximi, quo res gestae, aut antiquis monumentis nixi fidem suam egregie probarunt. Rumusculos et fabulas haud confectantur, nec sonnia vendentibus credunt. Qua mente se fuisse profiteretur P. SIMON. RETTENBACHER in praefatione *Annalium Monasterii Cremisanensis.*

ab iis, qui rei gestae interfuerunt: eo minor est illius fides. (a)

§. XVIII.

Quod ad alterum requisitum fidei faciendae res ipsa monet, testis vel historici non interesse debere, rem ita esse gestam, uti narratur, si testimonium eius omni exceptione maius haberi debeat. Illorum omnium vero interest, qui vel ipsi sentiunt commodum ex relatione, aut suppressa veritate, (b) vel tale sperant, vel alii quaerunt, vel alii invident, adeoque aut amore, aut odio ducti, aliquid dixisse aut reticuisse videntur. Pauci sunt adeo vecortes, ut sine ratione mentiantur, nisi quibus a pueris solenne fuit mentiri. Verbo, digni non sunt, quibus fides adiungatur, nisi qui *sine temeritate, sine ira, sine studio* scripserunt. *Quos contra affectus in abrupta duxerunt, ut fingerent, quae facta voluerunt, dissimulant contra, vel negarent, quae facta noluerunt, et ita*

(a) P. LAMBECIUS *Rer. Hamburg.* Lib. II. n. 200. *De rebus aut antiquis et ante nostram memoriam gestis maxima fides iis auctoribus adhibenda est, qui illis ipsis temporibus, de quibus agitur, floruerunt, quorumque testimonio α) vicinitas loci, β) claritas facti, ut circumstantiae sciri potuerint, γ) qualitas argumenti, et δ) narrationis fidelitas accedit.* Conf. EISENHART loc. cit. Cap. XI. §. 2.

(b) SAMUEL OVICHENON dans la préface de son *Histoire de Bresse et de Bugey*: *La principale partie d'un Historien est la probité, laquelle n'apprehende et n'espere rien, qui estime plus la vérité, que l'amitié des grands, et qui préfere son honneur aux recompenses honteuses. Quis nescit, inquit CICERO, primam esse historiae legem, ne quid falsi dicere audeat? deinde ne quid veri non audeat? ne qua suspicio gratiae sit in scribendo, neque simultatis?*

ita suo iudicio scripserunt, in alieno iudicio iure damnantur. (c)

§. XIX.

Qui nec ea tacet, quae sibi suisque nocent, ille prae caeteris fide dignus est: nam nemo sibi suisque nocitura dicit, nisi veritate expugnatus, aut in quo proprii commodi studium inferius multo, quam veritatis est. Vnde testimonium inimici pro inimico fortissimum recte habetur, et noxia auctori veritatis confessio eidem etiam quod ad reliqua fidem facere videtur. Sed hoc non eo valet, ut non verum fateri soleat interdum vaser, quo alio loco tanto licentius mentiri possit. Immo sunt, qui inimicum laudando proprio velificant honori, (d) *fraus enim fidem in parvis sibi praestruit, ut cum operae pretium sit, cum mercede magna fallat.* (e)

§. XX.

Incidimus nunc in eas res, quae summum probabilitatis gradum constituunt, et testimoniis tantum roboris et neruorum adiiciunt, ut veritates philosophicas aequent. Quarum e numero testimonium vel confessio inimici est, primumque locum inter species probationis

(c) Id quod IOAN. GEORG. HERVART AB HOHENBURG in literis ad ABRAH. BZOVIVM, *Ludouico quarto Imperatori defenso* praemissis, BZOVIO rectissime exprobrauit.

(d) Quod SANDOVALIO vitio dant, dicentes, cum eo consilio FRANCISCI I. REGIS GALLORVM virtutes summis extulisse laudibus, ut Herus suus CAROLVS V. FRANCISCI victor, tanto maior emeretur.

(e) LIVIVS Hist. Lib. XXVIII. Cap. 42.

tionis tenet. De quo summo probabilitatis gradu generatim et egregie commentatus est VIR ILLUSTRIS ADAMVS FRID. GLAFEY (f), remque exemplis satis idoneis illustrans, eum stulte incredulum recte iudicauit, qui exempli causa dubitaret, esse Lutetiam Parisiorum, quamuis a se nunquam visam, et fuisse Carolum V. imperatorem eius nominis. Si in causas inquiramus, cur non magis in dubium vocare par sit, quod sit Lutetia Parisiorum, vel quod fuerit Carolus V. Imperator, quam quod 3. et 2. quinque faciant? plures subesse reperiemus: α) myriades testium omni exceptione maiorum, vtramque rem affirmantium, β) confessionem etiam eorum, quorum intererat, Lutetiam Parisiorum non esse, vel Carolum V. nunquam fuisse, γ) defectum negantium inter tot millia hominum rei gnarissimorum, δ) effecta certissima illarum rerum, tamquam causarum, e. g. bella, quae consilia Lutetiae Parisiorum cepta pepererunt, clades, quas Caroli V. posterius alii attulerunt, et innumera alia, quae Lutetiae Parisiorum nata, vel Caroli V. vitam et mortem, nostrae et parentum nostrorum aetate, consecuta sunt. Eiusmodi res et circumstantiae vti singulae magnam momentum, ita coniunctim maximam probandi vim habent. Quod enim cum per se possibile est, tum omnibus patet aut patuit, et myriadibus hominum notum est, aut fuit, si de eo omnes sic consentiunt, vt nemo etiam eorum, quibus vile foret, rem vel plane non, vel alio modo esse, aut fuisse, dissenserit, aut dubitauerit, cuiusque effecta et consecutiones adhuc durant, et in aprico sunt, id in dubium

C

bium

(f) In *historia Germaniae polemica*, Cap. I. Thesi 2.

bium reuocare idem esset, atque credere, humanum genus suam exuisse naturam, et sine ratione obmutuisse, vbi loqui maxime referebat, nec sentire quae magno suo incommodo a posteriori vere sentit, tametsi a priori non videt.

§. XXI.

Enimvero etsi eiusmodi rerum et circumstantiarum concursus non infrequens est, minima tamen narrationum et testimoniorum pars tot praesidiis simul est munita, et satis bene cum eo agitur, cuius testis vno vel altero stipatus et instructus est, hoc est qui praeter communem testium fidem singulari fidei faciendae adminiculo quodam fulcitur: quale in primis est *fides publica*, siue earum personarum, quibus administratio reipubl. credita, quarumque fides sacramento firmata est. Vnde *fides archieporum* pendet, (g) ex quibus depromptae scripturae, e. g. acta iudicialia, libri censuales, nec non priuilegia et diplomata fortissimae probationum species, etiam vbi in iure versamur, esse solent.

§. XXII.

Non fert instituti nostri ratio, hic examinare quae ILLVSTR. IOH. PETR. DE LVDEWIG contra PFANNERVUM de *fide Archieporum* disputauit, nec quae GERMONIVS et alii (h) ad labefactandam veterum diplomatum

(g) MARCELLVS in L. 10. ff. de probat. et praesumt. *Census et monumenta publica potiora testibus esse senatus censuit.*

(h) Vid. Histoire des contestations sur la diplomatique, avec l'analyse de cet ouvrage composé par le R. P. JEAN MABILLON. ILLV-

matum fidem in medium protulerunt, quae alicuius momenti futura essent, si quae diplomata pro veris et normae loco habentur, in vno vel altero archiuo tantum, non in pluribus, cum loco, tum hominum animis disiunctissimarum prouinciarum et regnorum tabulariis sanctioribus exstarent, atque si diplomatum integritas vel falsitas ex vno vel altero signo dignoscenda esset, quorum contra tantus est numerus, vt falsum diploma accurati et attenti censoris notam vix effugere possit. (i) Non enim externa tantum diplomatum signa et criteria, nimirum, a) lingua, b) eiusdem genius, c) litterae, d) litterarum ductus, e) notae numerales, seu cifrae, f) monogrammata. g) sigilla, h) liquor, i) et materia in qua scriptum est, sed etiam *interna* sunt consideranda, nempe k) res, quae in diplomatibus continentur, et quidem tum

C 2

in

STRIS LVDEWIGII Praefatio de vsu et praestantia diplomatum et diplomaticae artis, et de bellis diplomaticis etc. praenissa T. I. Reliquiarum manuscriptorum omnis aevi diplomatum etc. CAPPARI BERETTI Istoria della guerra diplomatica. FERILLVSTRIS I. G. VON MEYERN Beschreibung des im vorigen Seculo angegangenen und bis auf unsere Zeiten fortgewährten diplomatischen Krieges, in Praefatione T. III. Actorum pacis Westphalicae praenissa.

- (i) Argumenta GERMONII, et qui ab eius partibus stant, conditiones ponunt, quae pro situ locorum, atque hominum affectione et studiis dari nequeunt, nempe omnes loco et animis disiunctissimos homines ad condenda falsa diplomata conspirasse, vel architectis fraudum ad omnia omnium prouinciarum et regnorum tabularia aditum petuisse. MABILLONIVS in *Supplemento Librorum de re diplomatica*, cap. I. §. 2. Primo, inquit, *pernego, tam multa esse, vt aduersarii criminantur, falsa vel interpolata instrumenta. Deinde non vnius duntaxat prouinciae, sed multarum ecclesiarum et regionum veteres libros, chartularia et authentica monumenta perhistrasi.*

in principio, tum in medio, tum in calce, quo pertinet subscriptio Pontificum, Imperatorum, Regum etc. nec non Cancellariorum, loci et temporis annotatio, sigilli appositio, et alia, quae post ZILLESIVM (k) et CONRINGIVM (l), summa cum accuratione explicarunt I. MABILLONIVS, (m) B. de MONTFAVCON, (n) I. N. HERTIVS, (o) I. PERESIVS, (p) B. G. STRVVIVS, (q) I. G. FONTANINVS, (r) PAPEBROCHIVS, (s) P. RVINARTVS, (t) D. LAZARINVS, (u) A. GATTVS, (x) DE LA CROZE, (y) SCHANNAT,

(k) In Defensione Abbatiae Imperialis S. Maximini.

(l) Censura diplomatis, quod Ludouico Imp. fert acceptum Coenobium Lindauense.

(m) De re diplomatica Libris VI. qui Paris. 1681. et 1709. cum erudita T. Ruinarti Praef. prodierunt.

(n) Palaeographia graeca.

(o) De fide diplomatum Germaniae Imp. et Regum in opusc. T. II. pag. 589. seq.

(p) Dissertationibus de re diplomatica, quibus pleraque ad rem diplomaticam spectantia accurate discutuntur.

(q) Diff. de criteriis manuscriptorum, et commentario de Dagoberto Rege.

(r) Vindiciis antiquorum diplomatum aduersus Bartholomaei Germonii disceptationem de veteribus regum Francorum diplom.

(s) Propylaeo antiquario circa veri et falsi discrimen in vetustis membranis.

(t) In Ecclesia Parisiensi vindicata aduersus R. P. Barth. Germonii duas disceptationes.

(u) Epistola ad amicum Parisiensem pro vindiciis antiquorum diplomatum Iusti Fontanini. Et in Epistola contra Germonium de veteribus regum Francorum diplomatibus etc. Conf. Ei. defens. in P. Germonium edita.

(x) Epistola ad Iacobum Bernardum pro vindiciis antiquorum diplomatum.

(y) Vindiciis veterum scriptorum contra Harduinum.

NAT, (z) G. BESSELIVS, (a) M. HÆRGOTT, (b) et alii, quos recensuit D. E. BARINGIVS. (c)

§. XXIII.

Vnum addimus, quod iam alii animaduerterunt, parem haud esse fidem Archiuorum in causis priuatis, siue subditorum, et principum aut rerumpublicarum propriis. Causas congessere ILLVSTRES VIRI, IOH. PETR. DE LVDEWIG in der zulanglichen Antwort auf Herrn Hofrath Pfammers Bedenken de principio fidei historicae, pag. 358. Derer gesamten Kleinen Schriften, et CHRISTIAN. THOMASIVS de fide iuridica, Cap. II. §. 10. (d) Quo loco haud praetereundum

C 3

-
- (z) Vindiciis quorundam Archiui Fuldensis diplomatum etc.
 (a) Chronico Gottvicensi, seu annalibus liberi et exempti Monasterii Gottvicensis, Ordinis S. Benedicti, inferioris Austriae.
 (b) Genealogia diplomatica gentis Habsburgicae T. I. Dissertatione praeliminari.
 (c) In clauis diplomatica.
 (d) Circa Archiua, ait, *varium etiam praecudicium esse solet: aliis nimiam auctoritatem iis tribuentibus; aliis contra nimium eorum fidem supprimentibus, atque plus historiis, ab iis qui negotiis ipsi interfuerunt, conscriptis tribuentibus. Iam quum in genere omnes propositiones comparatiuae facile in utramque partem disputari possint, ac adeo frequenter oratoribus themata praebent, artem oratoriam ostentandi, et quacum modo pro hac parte differuerunt, pro altera iterum differendi: malle et hic neutri parti magnam fidem in uniuersum tribui, et neutri etiam omnem fidem in uniuersum derogari. Non diffiteor, ab iis, qui negotiis ipsis interfunt, historias eum successu conscribi posse, si modo ipsi ad negotia illa adhibeantur, et nullae circumstantiae negotiorum ipsis ignotae maneant, et si postea sincere ea narrare velint. At quum saepissime contingat, ut non omnes, qui participes sunt negotiorum, omnes circumstantias*

ve-

undum est, quod in conflictu tabulariorum non possit eorum fides non vacillare, suamque Archiua vim sibi mutuo adimere: adeoque alteri pondus atque momentum aliunde accedat oportet, si superare velit parem alterius auctoritatem,

§. XXIV.

vere cognoscant, sed saepe et ipsi decipiantur, porro vero circa descriptionem negotii, vel ideo, quod partes sint, qui eam suscipiunt, lector circumspectus esse debet, ne nimis credulus sit, sed vero similiter praesumat, nonnulla aliter narrata esse, quam contigerunt, nonnulla etiam omisiss quibusdam circumstantiis esse proposita: facile patet, quam cautus hic lector requiratur, et quod raro tales historiae summam fidem utique mereantur, sed contenti esse debeant scriptores, si fidem mediam obtinuerint in iis, ubi generales regulae fidei philosophicae et historicae lectorem non urgent, ut fidem eorum suspectam habeat. Archiua vero, quum contineant relationes eorum, qui negotiis interfuerunt, et quae tractatus subsequuta sunt, pacta et conuentiones, facile patet, quod de ipsis pactis quidem et eorum instrumentis raro soleant oriri dubia, de antecedentibus vero et consequentibus, a quibus maxime interpretatio tabularum publicarum dependet, eadem cautiones sint obseruandae, quas modo memorauimus de historiis scriptis ab iis, qui negotiis ipsi interfuerunt. Hinc talia archiua publica, si ex iis historiae scribantur, tamdiu fidem apud lectorem immo et apud iudicem, si controuersia sit inter ipsos principes, merentur, quamdiu ex aliis facti circumstantiis non iustum oriatur dubium. Quodsi archiua archiuis contradicant, illud maiorem fidem merebitur, quod connexioni circumstantiarum maxime conuenit. Quodsi id non appareat, neutrum pro uerisimili, sed utrunque pro testimonio in propria causa habendum, et res ignota manebit, et lector iudicium suum suspendet, iudex vero pronuntiabit, sibi non liquere. Nam quod in causis priuatorum archiua magnam fidem habeant, ratio aperta est, quia tum testantur in causa propria, sed de negotiis aliorum, et quia, dum magistratus priuatorum contractus confirmat, regulariter non adsunt magis praesumptionum, cur falsi quid committere uoluerit, quum in eiusmodi causis principis vel alterius magistratus neutra ex parte interfit.

§. XXIV.

Momentum etiam ad fidem faciendam habent inscriptiones et marmora, (e) picturae, signa, (f) numismata, (g) et figilla. (h) Verum esse

(e) De quorum usu IO. CLERICVS dans la *Bibliothèque choise*, Tom. XIV. p. 10. seqq. Operam singularem in Inscriptionibus antiquis congerendis et illustrandis posuerunt IANVS GRVTERVS, THOMAS REINESIVS, cuius *Syntagma Inscriptionum antiquarum* quas GRVTERVS in vasto Inscriptionum opere omisit, supplet, RAPHAEL FABRETTVS in *Explicatione Inscriptionum antiquarum*, IOANNES VIGNOLIUS in *Diss. de columna Imperatoris Antonini pii, et antiquis Inscriptionibus*, IOANNES SELDENVS in *Marmoribus Arundellianis*, HENRICVS NORISVS in *Cenotaphiis Pisani Caii et Lucii Caesarum*, CAROLVS CAESAR MALVASIA in *Marmoribus Felsincis sive Bononiensibus*, PAVLVS ARINGHVS in *Roma subterranea*, SERTORIUS VRSATVS in *Monumentis Patavis*, IAC. SPONIVS in *Itinerario et curiosa antiquitatum investigatione*, GISB. CVPERVS in *Sylloge variarum veterum inscript.* CAROLVS PATINVS *Comment. in tres inscriptiones Smyrnenfes*, et plures alii a FABRICIO in *Biblioth. Latina Lib. IV. cap. V. et Graeca*, nec non a MORHOFIO in *Polyhist. T. I. Lib. IV. cap. XIV. §. 26.* laudati.

(f) IOH. LAVNOY in *Dissert. de vera causa secessus Brunonis in eremum cap. III. ratione secunda, siquidem*, inquit, *pictura eo, quo res depicta contigisse dicitur tempore, consecuta doceatur, in eo loco, ubi res perspecta esse potuit, itaque, quos res depicta attingit, eam cognitam tolerauerint, nec ullum falsi argumentum in eo cluceat, hanc tanquam veritatis testem amplectendam esse puto. At dubito, an haec sufficiant, nisi concurrant, quae EISENHARTVS l. c. cap. IV. §. 3. prudenter monuit, praecuntibus MAGERO de *Aduocatia armata cap. XVIII. n. 189. sequ.* et KNIPSCHILDO de *fideicom. fam. cap. XIV. n. 38. Lapidum, inscriptionum, et aliorum monumentorum veritas si in dubium vocetur, tum aliis historicae fidei adminiculis confirmanda esse.**

(g) Conf. AMPLISSIMI EVCHARII GOTTL. RINCKII *Lucubratio de*
ve-

esse cautionem, ne subditiis aut falsis decipiamur, nemo earum rerum gnarus inficias ibit. Commune principium antiqua monumenta, nominatim diploma-
ta, dignoscendi, etiam ad *Inscriptiones, picturas, numismata*, et *sigilla* pertinet, quod est rerum, *stili, temporis, et reliquarum circumstantiarum conuenientia*. Quo argumento *CONRINGIVS in censura diplomatis Ludouiciani*, hoc falsitatis recte arguit et conuicit, dum verba, formulasque, illo, quo compositum diploma ferebatur, tempore, nondum v'sitatas fuisse, res eo tempore nondum extitisse, et facta aliter, quam alii fide digni auctores tradiderunt, narrata esse, docuit. Externa rei signa, chartam, literarum figuram recentiore, et

a-

veteris numismatis potentia et qualitate, siue cognitio totius rei numariae, ad intelligentiam iuris accommodata. ANSELMI BANDVRI *Bibliotheca nummaria.* CAROLI PATINI *Introductio ad Historiam et cognitionem rei numariae.* B. G. STRVVII *Bibliotheca numismatum.* *Science des Medailles par le P. IOBERT.* EZECHIEL SPANHEMIVS *de usu et praestantia numismatum antiquorum.* M. HOSTVS *de re nummaria veterum Graecorum, Romanorum, et Ebraeorum.* ANTONII AVGVSTINI XI. *Dialogi de usu et praestantia numismatum.* A. MORELLII *Specim. vniuersae rei numariae.* Tacemus LAVRENT. BEGERI, IOH. VAILLANTI, RELANDI, PATAROLI, et VIRI AMPLISSIMI, nobisque anicissimi, IVLII CAROLI SCHLAEGERI *edita et illustrata numismata rariora et elegantiora*, nec non qui cum Germanorum rem numariam explicarunt, tum usum numismatum historicum docuerunt, ILLVSTREM IOH. PET. DE LVDEWIG *in der Einleitung zu dem Deutschen Münz-Wesen*, AMPLISSIMUM IOH. DAVID. KOEHLERVM, *in denen Historischen Münz-Belustigungen*, TENZELIVM, IVNCKERVM, et alios.

(h) Conf. exquisitissimum et vtilissimum I. M. HEINECCII *de veteribus Germanorum aliarumque nationum Sigillis, eorumque usu et praestantia. Syntagma.*

alia, imposturam saepe prodere, iam supra innuimus, (i)

§. XXV.

Quo loco monuisse iuvat, historicam fidem generatim ex circumstantiarum consensu pendere, et quo magis illae inter se pugnant, eo minorem esse fidem, multumque referre, vtrum res, quae narratur, possibilis, an mirabilis, an impossibilis sit? Talis enim ubi res reperitur, (vel etiam ubi narratio fabulae titulum praese fert,) (k) non virorum, sed puerorum est fidem adiungere. Sed hic quoque cautionem esse arbitramur, ne quae auctoritate diuina vere nituntur, (nituntur, autem diuinitus in sacris literis reuelatae veritates,) et si impossibilia videntur, eam pugnam seu con-

(i) Conf. G. NAVDAEI elegantissimus libellus, quem contra nonnullos Monachos sub titulo: *Raisons peremptoires &c.* edidit, et MARESIUS in *Iohanna Papissa*. Picturae subdititiae elegans exemplum stitit LAVNOYVS l. c. ratione quarta, *recentem*, inquit, *fuisse figuram, omnino restabat forma pilei, quo lectus Bruno auditores suos hinc inde docebat. Hoc enim capitis experimentum, quod in veteribus Academiae libris birretum rotundum et vocabatur, et erat, ad annum MDXX. aliter deformari coepit, et in cornutum quadrum desinere, cuiusmodi erat pileus, seu birretum Magisterii insigne, quo, ut diximus, Brunonis caput tegebatur.*

(k) De illo fabularum genere cum primis loquimur, quas Galli, animi relaxandi, vel potius ex otiosis hominibus stultos faciendi causa, scribere prae caeteris consueverunt, quae in literis IOANNIS REGIS BOHEMIAE apud DALZIVM Tom. I. Miscellan. pag. 162. *Romanes*, et in Gallia *les Romans, fabulae Romanenses* dicuntur. Harum si est utilitas, quam semper detrimentis minorem experti sumus, certe in historia et iure nullus est usus.

traditionem pro vera accipiamus, quae specie talis facile est, et magis rationi nostrae corruptae vitio danda, quam diuina testimonia indigna fide sunt habenda: cum testimonium diuinum, siquidem diuinum esse constat, fallere nescium sit, quando Deus et nullius rei nescius, et veritatis ira studiosus est, vt ipsa veritas recte dicatur.

§. XXVI.

Iam si rationes subducimus, primae historiae partes sitae sunt in narratione factorum (1) fide digna, hoc est talium testium, quos rem narratam et certo nouisse, et vti nouerunt tradere voluisse, scimus, minimum vero haud imprudenter credimus. Hoc eam ob causam adiicimus, quod raro contingit, vt in teste vel historico requisita ad fidem faciendam illo excellentiori gradu adeste, sciamus: sed maximam partem se-

(1) Vel rerum, quatenus dogmatibus opponuntur, nempe hactenus, vt quidem dogmata hac vel illa occasione nata, vel ab aliquo inuenta, defensa, et propagata esse, historia etiam recte doceat, sed dogmata esse vera, vel falsa probare, alterius sit disciplinae munus. Sic e. g. *Ecclesiam esse in Episcopo, omnemque religionis structuram in sacerdotio tanquam fundamento consistere*, neutiquam euincitur ex NICOLAI SCHATENII *Annalibus Paderbornensibus*, vtut probetur, SCHATENIVM hoc P. I. p. 2. dixisse, et CYPRIANI testimonio confirmare ausum esse. Idem est sentiendum de iudicii Historicorum propriis narrationi intextis. Talia enim ferentes officii sui fines transfiliunt, et ex historicis doctores existunt. Eiusmodi iudicia non ex auctoritate dicentis, vti testimonia, sed ex rationibus earum disciplinarum pendent, ad quas pertinent. *Il faut*, inquit LE P. DANIEL dans la preface de son *Histoire de France*, p. 79: *que l'histoire enseigne, mais l'historien doit couter de prendre l'air et le son de docteur*. Confer. IDEM pag. 31.

sequi nos oportet verisimilitudinem non impediam. (m) Quae cum ita sint, *historiam esse narrationem rerum vel factorum fide dignam*, efficitur.

§. XXVII

Tametsi vero omnis fide digna factorum narratio re vera historiae nomen tuetur, si partes illius primarias vel essentielles spectamus, (n) supersunt tamen, D. z. quae

(m) Conf. Observationum Hallensium Tom. XI. cap. V.

(n) Ad essentiam historiae narrationem *fide dignam* ita pertinere, iterum iterumque hic monemus, ut, ubi fides vel vacillat, vel testimonium alioqui fide dignum contrario eiusdem ponderis testimonio enervatur, historiae vis atque virtus non modo imminuatur, sed omnis tollatur, et in locum fidei. PYRRHONISMVS HISTORICVS succedat, quem innoxium praedicat LE PERE DANIEL l. c. p. 18. si in iis, quae rem circumstant, contingat, quod nos in medio relinquimus: contra ubi in ipsa re versatur, certissime vitiat historiam. De Pyrrhonismo historico videatur BAYLE dans les *Responces aux questions d'un prouincal*; et qui reipublicae multum lucis, tam in historia, quam in aliis literarum generibus attulit, b. B. G. STRVIVS in *Dissertatione praecursoria*, praemissa *Exercitiis disputatoriis*. Vbi plura exempla in medium protulit, et sic de re accurate sensit: Verus Pyrrhonismus oritur, ubi de quaestione ardua et memoratu digna agitur, et scriptores reperiuntur ab utraque parte fide digni, rationes et circumstantiae verisimiles, quae tamen sibi omnia contrariantur. Neque tamen ideo nihil plane esse in historiis certi putemus, quin potius *auctoritate coactorum, virorum scribendi prudentia clarorum, qui nullis affectibus dediti, et iustas notitiae causas habuerunt*, multum quoque veritatis tribuamus. Sequamur Lactantium, qui, ubi quaesivisset: *Vbi ergo sapientia est?* respondit: *Vt neque te omnia scire putes, quod dei est: neque omnia nescire, quod pecudis. Est enim aliquid medium, quod sit hominis, id est scientia cum ignorantia coniuncta et temperata.* LANGLETVS FRESNOYVS loc. cit.

Cap.

quae historiae vim et dignitatem hactenus augent, vt officium suum tanto magis faciat, quanto plures earum rerum concurrant, quas indagare nunc etiam conuenit.

§. XXVIII.

Quum enim facta vel res ea praecipue mente alteri narrentur, vt earum memoria conseruetur, non autem omnes res eiusdem momenti et vtilitatis, sed multae leues, et inutiles sint: (o) consequitur, non omnia facta vel res memoria aut historia esse dignas, tantoque magis rem memoria esse dignam, quanto maior eius sit vtilitas, quoue latius ea vtilitas pateat. Non igitur inepte agit, qui finiendae historiae res *memorabiles* includit. (p)

§. XXIX.

Deinde quamuis etiam incompta, horridula, omniumque decorum et ornamentorum expers narratio vera historia esse possit, (q) tamen quum talis lectorem

Cap. XVII. quae cauenda sint lecturo historias, ne vel in credulitatem, vel in Pyrrhonismum incidat, quin potius medium inter vtrumque teneat, scite expediuit.

(o) CICERO Lib. II. Epist. ad Atticum, Ep. VIII. *Si quid in ea Epistola fuit historia dignum, scribe quam primum, ne ignoremus.*

(p) P. DANIEL l. c. pag. 62. et 63. *Ce ne seroit pas orner, mais gâter une histoire, que d'y inserer des petits faits, et des faits absurdes, ou qui n'y ont nul rapport.*

(q) Quin historiam quoque modo scriptam delectare, statuit PLENIUS.

rem sua deformitate facile arceat atque repellat, et ita ipsos historiae fines, memoriam factorum, communem humani generis vtilitatem, et summi omnium rerum factoris gloriam quasi arctet, (r) contra decens polita et luculenta historia (s) ad legendum inuitet et allectet, adeoque fines historiae amplificet, atque dilatet: aptam esse historiam oportere, vix quisquam boni gustum habens in dubium reuocabit. Vnde demum talis recte confit definitio: *Historia est apta fideque digna factorum vel rerum memorabilium narratio.*

D 3

§. XXX.

- (r) Quod vel foli mediae aetatis scriptores condocent, quorum fastidio maximam eruditorum partem latent res antiquae domesticae.
- (s) Inde est, quod *scribere historiam arduum, plurimique laboris opus existimat FOLIETA, loc. cit. p. 1190: Quod cum excellens ingenium ac singularem eloquentiam postulat, tum acres quosdam et visidos animi motus, qui ad excogitandum sunt celeres, et ad inueniendum acuti, atque ad explicandum copiosi, praeterea ciuilium et bellicarum atque omnium fere magnarum rerum haud mediocrem scientiam et usum.* Quibus vero verbis minime applausit tumidae et adfectatae dicendi resque exornandi rationi, quam iure explofit SAMVEL GVICHENON dans la preface de l'*Histoire de Bresse et de Bugey. Je me suis, inquit, contenté d'une diction simple et d'une relation naïfue: ce triage de paroles et cette pompe de discours, de la quelle les ecriuains de ce temps font parade, sont plus tôt des ornemens necessaires à un Orateur, ou à un Poète, que conuenables à un Historien.* Conf. LE F. DANIEL loc. cit. pag. 27. 44. Paucis omnia, quae ad ornatum et decentiam historiae pertinent, complexus esse nobis videtur FOLIETA loc. cit. pag. 1208. *optima dicens historica narratio est, quae naturam ducem sequitur.*

§. XXX.

Sed nondum omnes numeros rei historicae explent dicta. Restant enim, quae ad plenam vel vti dicunt pragmaticam historiam pertinent, quibus nimirum ab imperfecta seiungitur. Accurate FRANCISCUS BACON DE VERVLAMIO *de dignitate et augmentis scientiarum*, Lib. II. Cap. VI. Historiam in *Memorias, Antiquitates, et Iustam Historiam* dispescuit. *Memorias* nominat prima ac rudia historiae lineamenta et praeparationes ad historiam. Hae illi duplicis sunt generis, quorum alterum *Commentarios*, alterum *Registra* dicit. *Commentarii* nudam actionum et euentuum seriem ac connexionem proponunt, praetermissis causis rerum et praetextibus, initiis quoque earundem et occasionibus, consiliis itidem et orationibus, et reliquo actionum apparatu. (t) *Registra* iterum duplicis sunt generis, aut enim titulos rerum et personarum in serie temporum complectuntur, quales sunt *fasti* et *Chronologiae*, aut actorum solemnitates, cuius generis sunt principum *edicta, senatum decreta, iudiciorum processus: orationes publice habitae, epistolae publice missae*, et similia, absque narrationis contextu, siue filo continuo. *Antiquitates* illi sunt historiarum reliquiae, siue fragmenta.

§. XXXI.

His, tanquam imperfectae historiae generibus oppo-

(t) Huc pertinent *Chronica, Annales, Ephemerides* seu diurni commentarii, die Journale.

ponit BACON *historiam iustam*, quaeres memoria dignas, ex certis documentis et archiuis desumtas, (u) in isto ordine dispositas, ac adductis causis et consiliorum rationibus, prudenter descriptas, plene completur.

§. XXXII.

Talis historia recte dicitur *pragmatica*. (x) Quid ad eam, vt rem ciuilem iuuare possit, pertineat, per partes exposuit ex ore ILLVSTR. LVDEWIGII et GVNDLINGII FRIDER. GLADOV in dem Versuch einer vollständigen Reichs-Historie §. 5. des Vorberichts. Respiciendum esse existimat ad statum publicum tam praeteritum quam praesentem, ad religionem, ad formam imperii, ad genium moresque populi, vires, situm, indolem, fines regionis, ad vicinos, ad rationes vtilitatis &c. Quae vero magis materiam et ambitum historiae pragmaticae, quam formam et essentiam, siue fidei faciendae partes, ordinem &c. spectant, adeoque cum BACONIS praescri-

(u) Contextam historiam ex meris diplomatibus scribi posse, ratione negauit GVNDLINGIVS. Sed aliam mentem Baconis haud fuisse putamus, quam potiora saltem capita historiae actis publicis et diplomatibus roborari debere.

(x) Cui maxime conueniunt; quae laudatus Dominus WOLFFIVS, et institutorum illius tenacissimus THVMIGIVS de aestimandis virtutibus historici praecipunt. In scriptis historicis (dicunt) attendendum est: 1) ad veritatem, ad regulas fidei examinandam, 2) ad ordinem, ex circumstantiis praesertim temporis diiudicandum, et 3) num sit completa? id quod ex scopo aestimatur. THVMIGII *Inst. Log. C. III. §. 69.*

scriptione et norma iustae historiae conficiendae coniungenda sunt.

§. XXXIII.

Quae ratione tractationis et materiae simul *universalis* dicitur historia, in sensu laxiore res vniuersi orbis complectitur. (y) *Particularis* historia alicuius regni vel reipublicae, vel nationis res gestas complectitur. *Historia singularis* vel vitam illustri viri, vel relationem actionis memorabilis continet.

§. XXXIV.

Vt autem *iustae historiae* nomen tueatur narratio quaedam, necesse est, cuiusque circumstantiae, quas morales appellant Philosophi, habitam esse rationem. Omnes autem circumstantiae, non solae *quid? cur? quomodo?* et *quibus auxiliis?* ipsius narrationis partes sunt. Unde quaestiones *quis? quando?* et *ubi?* non in transitu, sed inprimis occurrunt cum lectori, tum scribenti historiam, saepeque vtriusque diligentiam et accuratorem sic exercent et fatigant, ut singularia studia flagitent, et singulares disciplinas pepererint, *Genealogiam, Chronologiam, et Geographiam*, quarum cum priore coniuncta est *Ars heraldica sive armorum.* (z)

§. XXXV.

(y) Talem nec expectare licet. Qui historiam mundi (inquit BACON,) etiam ab origine scripsisse videri volunt, farraginem rerum et compendia narrationum pro historia exhibuerunt.

(z) Studia haec alii adminicula Historiae appellant: sed nos ipsius historiae partes integrantes, ut dicunt, esse arbitramur. Vniuersalem

§. XXXV.

GENEALOGIA (a) *illustrium familiarum ortus et propagines demonstrat*. Antequam hoc studium ex-cultum est, satis officio suo fecisse putabant, qui *delineassent et recensuissent*, quos pro GENITORIBVS, quosque pro GENITIS habebant, *probationes* susque deque habentes. Nunc vero haud sufficit *delineasse et Tabulas adposuisse*, sed *demonstrasse*. Hac contempla-tione merito summis efferuntur laudibus *Collectanea Genealogico-historica*, quae scriniis suis excidere passus est ILLUSTRISSIMVS S. R. I. COMES A WVRM-BRAND. Iure etiam maximos eo nomine facimus CHIFFLETIOS, BLONDELLOS, QVERCETANOS, GVICHENONIOS, IMHOPIOS, ECCARDOS, et KOEHLEROS. Fuerunt aliquid, et partim adhuc sunt VIGNERIVS, GVILLIMANNVS, BALBINVS, FEL-LERVS, RITTERSHVSIYS, GEWOLDVS, BRAN-DISIYS, FYGGERVVS, HVNDIYS, (b) HOHENE-CKIYS, LATZIYS, BYCELINVS, G. FABRICIYS, SCHICKFVSIYS, LAIRITZIYS, SPENERVS, et sexcenti alii, inter se valde dissimiles, quos vide sis, in *Bibliotheca Genealogica* IOANNIS HVBNERI, FI-LII HENNINGESII olim magni aestimata est ope-ra,

falem Geographiam anno 1725. Lutetiae Parisiorum. edidit NO-BLOTVS sub titulo: Geographie vniverselle historique et chro-nologique ancienne et moderne.

(a) Ab hac distinguit PRONOLOGIAM, siue *recensionem maio-rum* alicuius familiae.

(b) *Huius auctoris*, etius *magnum est nomen*, *Bayrisches Stammen-Buch*, inter rarissimos et vtilissimos libros varias ob causas, re-ferendus est merito.

ra, cuius *Theatrum Genealogicum* adhuc magno constat. Edidit et *Genealogias Familiarum Saxonicarum*. Hae quo rariores, eo maioris sunt pretii. Vulgus contentus est *Tabulis Genealogicis* IOANNIS HVBERI, senioris, more maiorum compositis. SPANGENBERGIO, BVTNERO, LEVBERO, BVRGERMEISTERO, SINAPIO, MVSHARDO, KOENIGIO et aliis, multum debet NOBILITAS GERMANICA. De *studii Genealogici* (c) *praestantia* extat *dissertatio* ADAMI RECHENBERGII, quae est vltima in *Volume Dissertationum Historicarum*, et de *Fatis studii Genealogici*, (d) nec non de *Libris Genealogicis vulgarioribus et rarioribus* duo libri, alter a. 1702. *Quedlinburgi*, alter a. 1710. auctore IAC. FRID. REIMMANNO, prodierunt. De *Scepticismo* (e) in *studio Genealogico*

(c) Studium hoc est antiquissimum, in quo versati sunt non solum qui *instinctu inflatuque diuino scripserunt*, vti MOYSES, sed etiam qui *commentitiis supplicarunt diis*, veluti HESIODVS, cuius *Theogonia* temporis eualit iniuriam, tot amissis vtilioribus libris. In ideam studia incubuerunt *Romani*. De T. POMP. ATTICO constat ex CORNELIO NEPOTE, in vita Attici, *illum sic familiarum originem subtexuisse, (in eo volumine, quo magistratus ornavit,) ut ex eo clarorum virorum propagines potuerint cognosci*. VARRONEM de *familiis Romanorum* scripsisse, testatur PLINIUS L. 35. *Hist. mundi*, c. 2.

(d) In hoc libro *moris Arabum Genealogias eorum delinendi* fit mentio, Exempli causa: Ein *Isabell-Farben-Pferd* aus Tucumannia, dessen Vater heißt Hagi Oghir, die Mutter Tasbas. Ein *Fuchs-Farben-Pferd* aus Tucumannia, dessen Vater Mauhmudi, die Mutter Zulfa. etc.

(e) Cuius rationes exponuntur: 1) quod inter *Scriptores Genealogiarum* summa sit *dissentio*; 2) quod multae reperiantur *Genealogiae*, quae ex rebus fictis commentitiisque constant. Sed haec tantum videntur pertinere ad *Genealogias, quae probatione carent*.

gico videantur Observationes Hallenses, Tom. X. Obs.
14. (f)

§. XXXVI.

ARTEM HERALDICAM, siue *disciplinam tessera-
rarum gentilitiarum, idoneo lumine, ad familiarum
discrimen pariter ac ornamentam expressarum, (g) v-
sum habere in historia, vix negauerit quispiam. Ex
multis enim, quos recenset HOEPPINGIUS de iure
in signum, C. 13. effectibus eorum, (h) si tantum non-
nullos agnoscamus, illi omnino ad historiae attinebunt*
E 2 ratio-

-
- (f) Dubitandi locus maxime datur, si iusto altius repetuntur *Genealogiae*, quod false admodum risisse Sannionem in aula MAXIMILIANI I. IMPERATORIS, proditum est memoriae.
- (g) Ita rem definiuit SPENERVS in *opere Heraldico, P. I. cap. I. §. 9.*
- (h) En praecipuos: 1) arguunt collationem dignitatis; 2) probant quasi possessionem dignitatis; 3) distinguunt ordines et dignitates; 4) inferunt praecedentiam; 5) attrahunt reuerentiam; 6) praebent signum accipientis et recusantis imperium; 7) distinguunt populos, prouincias, ciuitates, etc. 8) eandem aut diuersam originem vel familiam monstrant, (argumento tamen non solitario;) 9) antiquitatis familiae in dubio dant testimonium; 10) generis indicant claritatem; 11) arguunt iurisdictionem et dominium; 12) signant securitatem et saluam guardiam; 13) notant clientelam feudum et beneficium; 14) in ecclesia suspensa arguunt ius patronatus; 15) factam possessionis apprehensionem etiam in fisco necessariam docent; 16) vt et rei, cui imposita sunt, dominium; 17) appellationem rei aperiunt; 18) profunt in bellis ad fidam leuandam; 19) vsum praebent in inuestituris feudorum; 20) in exercitiis et ludis nobilium; 21) in exsequiis. Tacemus vsum eorum 22) in diuinando et vaticinando, et 23) in stratagematibus parandis, etc. de quibus HOEPPINGVS, *d. l. pag. 778.* Addimus 24) effectum impediendae et interrumpendae praescriptionis.

rationes. Nostro iudicio argumenta ab *insignibus* petita multum cum aliis coniuncta iuuant: sine illis aliquid, vel parum. Neque maiorem iis tribuere videtur vim *eximius eorum cultor* SPENERVS. Qui alia huius artis principia et fundamenta, praeter *usum* et *consuetudinem*, quaerit, oleum perdit et operam. *Placita maiorum* in illa solum regnant, quae tamen nonnunquam aliqua ratione nituntur vel analogia. (i) Si qua laus artis *Heraldicae* vel inuentae vel excultae esse potest, ea debetur *Gallis*. (k) De *Germanis* tamen praedicat MARCVS GILBERTVS DE VARENNES, GALLVS: (l) *quod et studio et peritia praestent in compositione et conseruatione insignium suorum*. (m)

§. XXXVII.

(i) SPENERVS in opere laudato P. I. Proleg. §. 19.

(k) Idem L. 2. §. 22.

(l) Dans *le Roy d'Armes* P. IV. p. 550. Qu'on les tienne (les Allemands,) fort curieux et bien entendus en la composition et conseruation de leurs armes.

(m) Inter eos, qui *hanc artem* tractarunt, *bi fere* excellunt: C. F. MENETRIER, F. DE L'ALOVETTE, S. PETRA SANCTA, LE LABOUREUR, H. BONNOR, M. V. DE LA COLOMBIERE, LE P. ANSELME, H. SPEELMANNVS, N. VPTONIVS, L. GELIOT, I. I. CHIFFLETIVS, P. MOREAV, O. F. DE BRIANVILLE, H. DE BARA, I. SCOHIER, P. CAMPANILLE, BARTOLI, S. FESHII, I. GIBBONI, L. SEGOING, et qui instar omnium est apud GERMANOS, P. I. SPENERVS, quo duce in formam iustae artis redigere sategit *Tesserarum scientiam*, V. C. M. SCHMEIZELIVS, qui de *Scriptoribus nostratibus* tantum, quantum sat est, egit in *der Einleitung zur Wappen-Lehre*, in dem VIII. Absatz der Vorbereitung. HOEPPIGIVM supra laudauimus. Primam introductionem in hoc studium debemus WYNKINODE WARDE ANGLO, et Catalogum auctorum, qui de re Heraldica scripserunt, conscripsit THOMAS GORE. Breuem Historiam vide

§. XXXVII.

GEOGRAPHIA alia *Mathematicorum* esse videtur, alia *Politicorum*. Illa est *notitia globi terrestris, eiusque figurae et magnitudinis, (n) nec non eorum, quae inde pendent ac consequuntur. Haec est descriptio globi terraquei, pro ratione partium, in quas illum vel natura distribuit, vel homines. Quum vero ad istam, siue pragmaticam historiam pertineat, et populi genium, et regionis respicere indolem, quorum vtrumque varium efficit varius plagarum situs, et varium coelum: (o) non temere vel huius vel illius rationes a se alienas esse putabit historicus. (p)*

E 3

§. XXXVIII.

vide sis in REIMMANNI Hist. Lit. Vol. V. p. 596. seqq. Compendium artis Heraldicae accuratissimum v. I. I. G. TRIERO debemus. PERILLVSTRIS B. ZECHII Euolutio insignium Frederici Ducis Saxoniae, egregia est.

- (n) Addunt alii situm et motum, quos alii ad *Astronomiam* referunt.
- (o) Eodem spectat definitio Geographiae, quam vide sis apud v. c. I. D. KOEHLERVM, in der *Anleitung zu der verbesserten neuen Geographie*.
- (p) GEOGRAPHIA recte diuiditur in *antiquam, mediam, et nouam. Antiquam* inprimis excoluit et ornauit PTOLEMAEVS. Optima editio est, quam P. BERTIO acceptam ferimus, cuius *Theatrum Geographiae* veteris, quod PTOLEMAEVM, ANTONINI AVGVSTI *Itinerarium*, PEVTINGERI et ORTELI *Tabulas* complectitur, *praestantissimum opus* appellat MENCKENIVS in *Catalogo praecipuorum Historicorum*. STRABO, DIONYSIVS, MELA, et qui in eum commentatus est, IS. VOSSIUS, nec non P. BERTIVS, STEPHANVS BYZANTINVS, et qui in hunc notas scri-

CHRONOLOGIAM magnae difficultates premunt,
pro-

scripsit, HOLSTENIVS, RAVENNAS ANONYMVS, HUDSON, de antiqua Geographia optime sunt meriti. Hic edidit *Geographiae veteris Scriptores Graecos minores*, Oxon. e Theatro Sheldoniano. BRIETIVS, scripsit *Parallela Geographiae veteris et nouae*, pulcherrimum et accuratissimum opus. MENCKENIVS loc. cit. Egregiam etiam antiquae Geographiae operam nauarunt CELLARIVS, CLYVERIVS, AVDIFRET. Historiam huius disciplinae vide sis apud WOWERIVM, IVNCKERVM, VOSSIVM, LÖDERVM et alios a STOLLIO in *der Anleitung zur Historie der Gelehrtheit* cap. VI. laudatos. Ad illustrandam *Germaniam antiquam*, quod ad regiones etiam, facit I. C. SPENERI *Notitia Germaniae antiquae. Mediae aetatis Geographiae* adhuc parum operae datum est. Ad eam se adplicuit CELLARIVS, et nonnullas praelo commisit tabulas. Sed opus perficiendi consilium praecuenit mors. Spein quoque ostenderat orbi, qui tanto labori par fuisset, S. F. HAHNIUS: Ast et ea spes euanuit. Soli *Saxoniae* obtigit esse felici, de cuius *Pagis* ex mediae aetatis scriptoribus *Commentariolum* scripsit, H. MEIBOMIVS. Exstat etiam C. F. PAVLLINI *de Pagis, in primis antiquae Saxoniae, libellus, e vetustis tabulis* collectus. Praestitit in eo genere maxime officium suum Vir, cum de ecclesia, tum de re literaria, praesertim historia, optime meritus, T. G. LEVCKFELD. Nec debita laude fraudandus est CH. IVNCKERVS, nam et si acres habuit iudices, LEIBNITZIOS et GVNDLINGIOS, non tamen inutilis est eius *Anleitung zur Geographie der mittlern Zeiten*. MARTINVS ZEILERS in *Itinerario Germanico* plurimum retro respicit, et allegat fontes. *Nouam Geographiam* adornarunt, primis post medium aeuum temporibus, G. MERCATOR, A. ORTELIVS, eiusque continuator, HYNDIUS, et alii, qui, quod ad eam aetatem, adhuc usum habent. Hos secuti sunt multi alii, inter quos eminent SANSON, MARTINEAV, ROBBE, LVYTS, IAPLOT, DE FER, DE L' ISLE, B. VARENIVS. Splen-

propter varium gentium morem ineundi rationem temporum. Non vacat hic SELDENI, VSSERII, DODWELLI, PAGI, SCHVRZFLEISCHII, ALMELOVENII, BLONDELLI, SCALIGERI, CALVISII, PETAVII, FABRICII, BVCHOLZERI et aliorum diligentiam laudibus ornare. Remittimus lectorem ad M. I. H. LOEDERI *Introductionem in Historiam Vniuersalem*, IVNCKERI *Lineas eruditionis vniuersae*, REIMANNI *Histor. Liter.* STOLLII *Einleitung zur Historie der Gelahrtheit cap. VI. §. 28. seqq.*

CAP.

Splendidum et amplissimum opus est *le Grand Atlas* par JEAN BLAEV. Plures, qui in conscribendis Geographiis, vel in pingendis tabulis caeteris praestiterunt, videantur in Praefatione der kurzen und deutlichen Anweisung zur alten und neuen Staats-Geographie I. C. MARTINI, et in C. GOTTSCHLINGII Versuch von einer Historie derer Land-Charten, M. IOS. LVDW. HOCKERS kurzen Anweisung derer Land-Charten, et M. GOTTFRIED GREGORII Gedanken von Land-Charten. Apud nos diu regnavit HVBNERS, quo multo accuratorem nunc habemus V. C. KOEHLERVM. Nec contemnenda est I. HVNERI IUNIORIS vollständige Geographie: MORGENSTERNI neueste Staats-Geographie tam accepta fuit, vt intra duos annos iam alteram apparet editionem Bibliopola. GLADOVIOS, MELISSANTES, BERCKENMEYEROS, et reliques nihil moramur.



CAP. II.

DE

VERO ET LAVDABILI HISTORIAE VSV.

§. I.

Quae priore Capite de *Natura Historiae* diximus, eo sunt dicta consilio, vt cum verus et laudabilis historiae vsus, tum illius abusus accurate monstrari possit. Nunc de illo agendum est. Sed non est in animo compilare scrinia BERNARTII, (q) AB BATHS SANCTI REALIS, (r) BOECLERI, (s) SIGONII, CISNERII, BLONDELLI, HVBERI, REINECCI, et aliorum, qui de *vsu et utilitate historiae* commentati sunt. Satis dictum erit, si dixerimus, nullam disciplinam, siue intellectui nostro seruiat, siue voluntati, se salua carere posse ministerio historiae, omnemque fatuam esse vitam, nisi historia, tamquam sale, condiatur, (t) quin ipsius morum ac vitae ficticis et mode-

(q) Cuius de *Utilitate legendae Historiae* libellus Antwerpiae Anno 1593. prodiit.

(r) Vid. *Discours de l'usage de l'Histoire dans les Oeuvres mêlées de l'ABBE de Saint-Real.*

(s) Conf. IO. HENRICI BOECLERI *Dissertationes Academicæ*, D. XL. sub Titulo: *Historia principum schola.*

(t) M. DACIER dans la Preface des *Vies des Hommes illustres* de PIVTARQUE: *Vne des plus grandes marques de folie, que DEMOCRITE*

TE

deratricis Philosophiae officio fungi posse historiam, maiorique cum effectu, quam ab ipsa fit, saepe fungi, siquidem

fulminat exemplum: regula cassa strepit. (u)

Recte HIERONYMVS OSORIVS, (x) *vix quidquam arbitratur esse historia vel ad prudentiam comparandam utilius, vel ad virtutem excitandam vehementius, vel ad sananda reipublicae vulnera salutaris, vel ad oblectamentum vitae iucundius.*

§. II.

Sed vt ordine disponamus quae de vero et laudabili historiae vsu paucis dicturi sumus, primus ille est obseruandus, quod memoriam rerum gestarum (y) con-

TE trouoit dans les hommes, c'est qu'ils ne daignent pas s'instruire de ce qui s'est fait avant eux, et que le long age du monde leur est une leçon inutile, parce qu'ils ne s'en seruent pas comme ils devoient pour profiter de tant de grands exemples dont l'histoire conserue le souvenir, et pour tirer de ce qui est arriué des coniectures de ce qui doit arriuer encore. PLATO in Timaco, semper pueros esse dicit, in quibus nulla antiquitatis sit cognitio, nulla quasi senilis et cana scientia. LVD. VIVES Lib. V. de Trad. discipl. pag. 355. Historia, ait, si adsit, ex pueris senes facit, sin absit, ex senibus pueros.

(u) SYMMACHVS Epist. I. 37. BOECLERVS l. c. Veram et solidam prudentiae institutionem felicius et liberalius historia proficitur, quodque praeceptis deest, suggerunt efficaciter exempla.

(x) *de rebus Emamielis Lusitaniae Regis, Lib. I. p. 1.*

(y) Sub rebus et consilia, et dicta, et facta complectimur, quae in humanis actionibus semper esse spectanda, recte monet BODINVS in *Methodo ad facilem Historiarum cognitionem.*

seruet historia, easdem aeternitate quadam continens. Sic enim vel honeste, vel magnifice, de historiae dignitate sentiunt eius amatores, *esse quantam historiae aeternitatem, quae, ut in Deo simul omnia per naturam, ita in homine per memoriam res praeteritas exhibet.* (z) In quam vero sententiam hactenus descendimus, ut historiae aeternitatem rerum humanarum imperfectionibus circumscribi non negemus.

§. III.

Sicuti autem nec omnes res memoria dignae sunt, leues nimirum et nullius momenti, nec omnium memoria utilis est, nempe earum, quae vitiorum illecebrae, atque fomites facile existunt: ita nec omnis historia fructum praebet, nec quem praebet, is omnis parem habet usum, sed alius alio maiorem. Non hic voluptatis ex historia capiendae rationem habebimus, quippe per se notissima, et ab omnibus ita degustata est, ut in abusum facile abeat: (a) sed veras spectabimus tantum utilitates, earundemque varia genera,

§. IV.

Longe maximum usum habet historia in considerandis vestigiis diuinæ potentiae, iustitiae, clementiae, sapientiae et prouidentiae, verbo in summarum quibus

(z) P. CHRISTOPHORVS BROWERVS in *Antiquitatum et Annalium Treuirensium Prooemio*, C. I. §. 2.

(a) Conf. IO. BODINI l. c. in Prooemio, ubi eam voluptatem inter fructus et utilitates historiae ponit.

bus praeditum est supremum numen perfectionum documentis, et circumspiciendis euentibus, quos habere solent cum diuina consilia, tum humana, ex illis omnino pendentia, illa cum primis, quae publice ineunt et exeuntur rectores ciuitatum. Nam et illa ad Deum referre par est, cum boni reges respublicas diuina moderentur beneficio, *mali contra, sicuti suo vitio mali sunt, ita et regnare permittantur diuino iudicio, interdum occulto, sed nunquam iniusto.* (b) Ad hoc id maxime acceptum est ferendum historiae, quod doceat, quam sanctae doctrinae, veraeque ecclesiae tuendae et conseruandae semper sit sollicitum atque prouidum diuinum numen. (c) Et vt paucis multa complectamur, quem athei vel nullum, vel minimum putant historiae vsum, ille profecto amplissimus est, vt tot, tantarumque admirabilium rerum, quae et olim steterunt, et

F 2

nunc

(b) HINC MARVS Operum Tom. posteriore pag. 5. IO. CLERICVS in elegantissima Dedicatione *Historiarum* TITI LIVII. *Felices, inquit, reges, qui intelligunt, se esse iustitiae diuinae, hoc est immutabilis, ministros, non dominos, nec ab ea digrediantur: nec minus beatos populos, qui Dei hac in re vicariis, non impotentibus aequi et iniqui dominis, fidele obsequium praestant!* Ad quae cogitanda et optanda LIVIUM legentem se adductum fuisse profiteatur CLERICVS.

(c) SIMON SCHARDIUS in Praefatione ad PETRI DE VINEIS Epistolas: *Huius generis scripta optimi maximi Dei bonitatem ac misericordiam erga ecclesiam suam ostendunt, qui ne ingruentibus erroribus vel falsis doctrinis grassantibus, ea in errores pertracta funditus interiret, sed septem millia piorum Baali genua non infestentia retineret, singulis temporibus vel Prophetas, Doctores ac Euangelistas, vel alios pios viros excitauit, qui erroribus atque mendaciis resistentes, vitia taxarunt, ac pio et intrepido zelo veritati testimonium tulerunt.*

nunc diuino stant beneficio, recordatio piaeque contemplatio summi earum satoris gloriam amplifcet. Ad quem finem etiam prae caeteris referenda sunt omnia, circa quae versatur *historia ecclesiastica*: quae vero et *literariae* (d) pars est, et cum conuersiones et vicissitudines ecclesiae, siue fata prospera et aduersa, tum doctorum vitas, merita et fata, dogmatum originem, progressus, oppugnationem, turbas, et hereses, leges, cultus diuini interni et externi rationem, et alia, ex monumentis ingenuis et per testes fide dignos apte perscripta sistit, vt diuinam prouidentiam in hac societate condenda et conseruanda intelligant homines, et pietate non minus, quam sapientia, et rem Christianam bene agendi dexteritate crescant. (e)

§. V.

Nec minor est vsus historiae in ponderandis rebus ad seculum pertinentibus, quarum verum pretium ex earum virtute beandi possessores suos, atque duratione aestimare licet: quarum autem leuis admodum altera cum

(d) *Historiae ecclesiasticae* hoc loco vt mentionem faceremus nos permouit F. BACONIS DE VERVLAMIO auctoritas, qui eam in *historiam ecclesiasticam* presse dictam, *historiam ad Prophetias*, et *historiam Nemeseos* diuisit, et in prima *statum ecclesiae in persecutione, in motu, et in pace*, in altera cum *Prophetiam ipsam*, tum *eius adimpletionem*, in vltima vero consilia et iudicia diuina, cum per vindictas inopinatas, tum per salutem subito effulgentem explicata, exponenda esse haud inepte existimauit. *De augmentis scientiarum, Lib. II. Cap. XI.*

(e) Conf. VENERABILIS ABBAS MOSHEMIVS *Institut. Hist. Christ. maior. Praepar. §. I.*

cum sit, altera nimium quantum angustis definita terminis, planissime efficitur, satis praesidii in illis haud esse, sed verae salutis parandae alium esse quaerendum locum. (f)

§. VI.

Deinde maximam vitae vtilitatem affert historia, ante oculos ponendo consecutiones actionum bonarum et prauarum: id quod in doctrina morum apprime iuvat homines, eosque, nisi consuetudine et inueteratis vitiis perditum iam et desperatum sint, emendat et prudentiores reddit. (g) Praecipue vero populos, eorumque magistratus aliorum exemplo condocet, quibus rebus augeantur et recreentur, quibusque minuantur

F 3

et

(f) THOMAS IOANNES PESSINA DE CZECHOROD in Epistola dedicatoria Marti Morauiico praemissa: *Nihil, ait, in rebus humanis stabile est. Nec tantum homo, verum populi integri, communitates, vrbes, prouinciae, regna quam plurima, imo fere omnia, tristitia humanarum mutationum ac luculenta nobis praebent exempla. Vidit hoc Romanus Orator: id ipsum inquit a Platone didici, naturales esse conuersiones rerumpublicarum, vt ea tum a Principibus teneantur, tum a populis, tum a singulis, imo (addit CZECHOROD) vt tandem a nemine teneantur, sed suo tempore occidant intercantque.*

(g) DANIEL BLONDELLVS in Pleniore Assertionem Genealogiae Francicae, Praefationis apologeticae initio: *Salutis, inquit, communis interesse videtur, id quod quisque, siue priuatus, siue princeps, in publicum deliquit, palam ob oculos omnium poni, ne innoxii sempiternam, quam commeriti haud sunt, alienorum delictorum infamiam subire cogantur: noxii contra, (addimus,) ignoratione suppliciorum, quae subire solent scelerati, se ipsos fallant. Confetur IANVS NICIVS ERYTHRAEVS in Exemplit virtutum et vltiorum.*

et euertantur ciuitates. (h) Quod magnum ad instruendos animos, et sananda rerumpublicarum vulnera, pondus atque momentum habere, obseruant eruditi. (i)

§. VII.

Nunc quae supra summatim de vsu historiae in omni doctrina enunciauimus, paulo copiosius exponenda

(h) LIVIUS in Praefatione Hist. *Ad illa mihi pro se quisque acriter intendat animum, quae vita, qui mores fuerint, per quos viros, quibusque artibus, doni militiaeque, et partum et auctum imperium sit: labente deinde paulatim disciplina velut desidentes primo mores sequatur animo: deinde ut magis magisque lapsi sint, tum ire coeperint praecipites, donec ad haec tempora, quibus nec vitia nostra, nec remedia pati possumus, peruentum est. Hoc illud est praecipue in cognitione rerum salubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illustri posita monumento intueri, inde tibi tuaeque reipublicae quod imitere capias: inde foedum inceptu, foedum exitu, quod vitas.*

(i) Conf. NICOLAUS CISNERIUS de *Historiae vsu: Ad omnem, inquit, rei civilis et militaris rationem vberriam, tum ad cauendum, tum ad imitandum, documentorum copiam veterum temporum cognitio suppeditat.* BOECLERUS in laudata Dissert. *Historia Principum schola, totus in eo est, ut summum utilitatis fructum, quem praebet historia Principibus, ostendat.* CZYCHOROD l.c. *Ut praecleara, et ad instituendam probe vitam humanam summe proficua est Historiarum cognitio: ita non minus utilitatis bono publico adferre videntur illi, qui iisdem fideliter conscribendis operam adhibent: quibus quae retro, vel praesenti seculo accidere, ad posterorum memoriam ut mandentur literis, curae est: sic ut tales plus se re ceteris Reipublicae prodesse censeantur. Vnius actatis sunt, ait FL. VEGETIUS, quae fortia fiunt: quae vero pro utilitate Reipublicae scribuntur, aeterna. Unde magnas gratias, ait alius, debent merito homines rerum scriptoribus, qui suo labore plurimum vitae mortalium profuere: ostendunt enim legentibus praeteritorum exemplis, quid nobis sit appetendum, quid fugiendum.*

da esse arbitramur, eodem scilicet modo, quo *Historiae ecclesiasticae* munus, vsum, et fines strictim indicare occupauimus. *Vnum* equidem *opus historiae esse*, statuit LVCIANVS SAMOSATENSIS, (k) *et unum finem, vtilitatem, quae ex sola veritate conciliatur.* Sed quando veritas per omnes disciplinas diffunditur atque patet, vel patere debet: vtilitas historiae in omni scientiae genere sine dubio ea est maxima, (l) quod in

(k) In Libro Πῶς δὲ ἰστορίαν συγγράφειν, *quomodo Historia scribenda sit*, qui liber, vt ceteri huius auctoris, summo scriptus est ingenii acumine, quo occultissima LVCIANVS perspicere poterat, ceterum religionis causa oculis captus, supremi numinis oppugnator et irrisor improbus.

(l) F. B. DE VERVLAMIO *de augm. scient. L. II. C. IV. iustam literarum historiam vniuersalem desiderauit*, eiusque et argumentum, et conficiendi modum, et vsum sic adumbravit: „ *Argumentum* non aliud est, quam vt ex omni memoria repetatur, „ quae Doctrinae et Artes, quibus Mundi aetatibus et Regionibus floruerint. Earum Antiquitates, progressus, etiam peragrationes per diuersas Orbis partes, (migrant enim Scientiae, non secus ac populi,) rursus declinationes, obliuiones, instaurationes commemorentur. Obseruentur simul per singulas Artes inuentionis occasio et origo, tradendi mos et disciplina, colendi et exercendi ratio et instituta. Adiciantur etiam Sectae, et Controuersiae maxime celebres, quae homines doctos tenuerunt, calumniae, quibus patuerunt, laudes et honores quibus decoratae sunt. Notentur Auctores praecipui, libri praestantiores, Scholae, Successiones, Academiae, Societates, Collegia, Ordines, denique omnia quae ad Statum Literarum spectant. Ante omnia etiam id agi volumus, (quod Ciuilis Historiae decus est, et quasi anima,) vt cum euentis causae copulenter: videlicet vt memorentur naturae regionum ac populorum, indolesque apta et habilis, aut inepta et inhabilis ad disciplinas diuersas; accideutia temporum, quae Scien-

in singulis artibus ad veritatem inueniendam magno-
pere faciat, dum artium initia et progressus enarrat et
ita

„ Scientiis aduersa fuerint aut propitia, zeli et mixturae Reli-
„ gionum; Malitiae et fauores legum, virtutes denique infi-
„ gnes, et efficacia quorundam virorum erga literas promo-
„ uendas, et similia. At haec omnia ita tractari praecipimus, vt
„ non Criticorum more in laude et censura tempus teratur,
„ sed plane historice res ipsae narrentur, iudicium parcus inter-
„ ponatur. De *Modo* autem huiusmodi Historiae conficiendae
„ illud inprimis monemus, vt materia et copia eius, non tan-
„ tum ab Historiis et Criticis petatur, verum etiam per singulas
„ annorum Ceuturias, aut etiam minora interualla, seriatim,
„ (ab vltima antiquitate facto principio,) libri praecipui, qui eo
„ temporis spatio conscripti sunt, in consilium adhibeantur; vt
„ ex eorum non perfectione, (id enim infinitum quiddam es-
„ set,) sed degustatione et obseruatione, Argumenti, Stili, Me-
„ thodi, Genius illius temporis literarius, veluti incantatione
„ quadam, a mortuis euocetur. Quod ad *Vsuum* attinet, haec
„ eo spectant, non vt honor Literarum, et pompa, per tot cir-
„ cumfusas imagines celebretur; nec quia, pro flograntissimo,
„ quo literas prosequimur, amore, omnia, quae ad earum sta-
„ tum quoquo modo pertinent, vsque ad curiositatem inquirere,
„ et scire, et conseruare auemus: sed praecipue ob causam mag-
„ nis seriam, et grauem. Ea est, (vt verbo dicamus,) quoniam
„ per talem, qualem descripsimus, narrationem, ad virorum
„ doctorum, in Doctrinae vsu et administratione, prudentiam
„ et solertiam, maximam accessionem fieri posse existimamus,
„ et rerum intellectualium non minus quam civilium motus,
„ et perturbationes, vitiaque et virtutes, notari posse, et Regi-
„ men inde optimum educi et institui. Neque enim B. Augusti-
„ ni, aut B. Ambrosii opera, ad prudentiam Episcopi, au Theolo-
„ ghi, tantum facere posse putamus, quantum si Ecclesiastica
„ Historia diligenter inspiciatur, et reuoluatur. Quod et Viris
„ doctis ex *Historia Literarum* obuenturum non dubitamus.
„ Casum enim omnino recipit, et temeritati exponitur, quod
„ exemplis et memoria rerum non fulcitur. Atque de *Historia*
„ *Literaria* haec dicta sint.

ita quam vnumquodque studium ad felicitatem humanam confert partem, eandem multum adiuuat et promouet. Quod vel ex his, quae hic extremis tantum digitis attingere nobis permittit institutum nostrum, planum fiet.

§. VIII.

Est igitur in literis generatim ea historiae vis atque virtus, vt gradus perfectionum, ad quas euectae sunt disciplinae, atque homines per quos euectae sunt, cum doctrinarum sedibus, siue monumentis et libris, quibus vnaquaeque ars excolta, aucta, et illustrata est, bona fide patefaciat, ad tuendam scientiarum dignitatem, afferendumque eis identidem incrementum. (m) Quibus verbis *historiae literariae* munus expressisse sufficiat.

§. IX.

Nominatim autem *naturalis historiae* (n) vtilitas inde elucet, quod tum quid *libera natura* in coelis, animalibus, plantis, et vniuerso suo apparatu possit, tum prauitatibus et insolentis materiae contumacis impedita, et *a legibus suis aberrans*, producat, nimirum

G

in

(m) Conf. MORHOPII *Polybistor. Tom. I. L. I. cap. II.* Tacemus FABRICIOS, HEVMANNOS, REIMMANNOS, GVNDLINGIOS, et innumeros alios, in re et historia literaria, excellentissimos viros cum Germaniae, tum Belgii, Italiae, Galliae, Angliae, aliorumque regnorum et rerumpublicarum decora.

(n) Quam primam omnium facit BACON DE VERVLAMIO l. c. *historiam omnem* diuidens in *naturalem*, et *ciuilem*, sub hac *ecclesiasticam* et *literariam* comprehendens.

in monstis, tum arte et opera humana siue adiuta, siue constricta, siue imitando efficta, hoc est in artificia-ibus, efficiat, magno humani generis commodo exponit. (o)

§. X.

Historiae ciuili multo maximum vsum iam adum-
brauimus, praeterea ex iis apparentem, quae BACON
DE VERVLAMIO de illius dignitate sequentem in mo-
dum differuit. (p) *Historiae ciuili fidei exempla ma-
iorum, vicissitudines rerum, fundamenta prudentiae
ciuili, hominum denique nomen et famam, commissa
sunt. Ad dignitatem eius accedit non minor difficul-
tas. Etenim animum in scribendo ad praeterita re-
trahere, et veluti antiquum facere, temporum motus,
personarum characteres, consiliorum trepidationes, a-
ctuum, tanquam aquarum, ductus, praetextuum inte-
riora, imperii arcana, cum diligentia scrutari, cum
fide et libertate referre, denique verborum lumine sub
oculos ponere, magni utique laboris est et iudicii. Has
scribendae historiae ciuili leges vbi Historicus probe
obseruauit, et obseruatis cum fide vtuntur qui res pu-
blicas*

(o) IDEM l. c. vbi *historiam naturalem* partitur a) in *historiam ge-
nerationum*, quae naturae libere agentis vim explicat; b) in *hi-
storiam praetergenerationum*, quae naturae errores tractat, et c) in *historiam artium* siue *mechanicam, factitiam, experimentalem*, quae naturae vincula exponit: sed nos addenda esse adiumenta et imitationem naturae existimauimus.

(p) l. e. cap. V, Ad quam dignitatem tuendam in primis commone-
fecit lectores, cum euentis causas semper esse copulandas.

blicas gubernant, non possunt maxima inde emolumenta et beatitudines ad ciuitates non redundare.

§. XI.

Quae civilis historiae pars est, *iuris et legum historia*, suum sine dubio per se probat fructum, siquidem de vera legum mente, et legum latorum sententia vix constare potest, nisi occasiones et consilia, vnde leges profectae sunt, manifestauerit historia. (q)

§. XII.

Vbi homines iure nonscripto vtuntur, (vtuntur autem vbiuis gentium, in omni legum positiuarum genere, quamuis non solo,) ibi historia suum ita facit officium, vt testimonia omni exceptione maiora, h. e. fide digna, pro legibus sint. Quod speciatim ad *ius publicum* pertinet, cuius maxima pars, si non omnis, antiquitus vsu, siue

OBSERVANTIA (r) quam dicunt, nitebatur, *manu-*
G 2
que

(q) Vel solae difficultates intelligendi Romani iuris cum necessitatem, tum vtilitatem historiae in iure euincunt. Quod ALCIATORVM, SIGONIORVM, MANVTIORVM, GRAVINARVM, RAEVARDORVM, FOLLETORVM, BRISSONIORVM, GOTHOFREDORVM, MVRETORVM, CVIACIORVM, BALDVINORVM, AVGVSTINORVM, HOTTOMANNORVM, MERVLARVM, CONTIORVM, BRUMERORVM, MERILLIORVM, BINCKERHOEKIORVM, NOBIORVM, HEINECCIORVM, FABRORVM, OTTONVM, CONRADORVM, SCHVBARTORVM, BRVNQVELLORVM, STRVVIORVM, BRECKMANNORVM, MARANORVM, et aliorum scripta probant, quibus egregie cordati viri historiam iuris et legum vel ex instituto tractarunt, vel eius auxilio imminutam ante iurisprudentiae dignitatem restituere feliciter sunt conati.

(r) Vid. IOH. GEORG. KVLPSIVS de obseruantia Imperiali, vulgo *Reichs-Hertommen*, in Opusculis pag. 39. VIR ILLVSTRIS DIET. HERM. KEMMERICH, quem honoris causa nominamus,

que et memoria magis, quam scriptis propagatur, (s) cuiusque adhuc magna pars eadem nititur, vel solis Ordinationibus supremorum Imperii Iudiciorum id probantibus, siquidem a Iudice, Praesidibus, Consiliariis, et Assessoribus notitiam obseruantiae et consuetudinum diserte requirunt. (t) Tacemus singularem historiae usum in iure publico, respectu factorum, quibus saepe recte nititur ius publicum. De quo usu historiae, vbi de abusu, in quem facile ille abit, acturi sumus, plura in medium, afferre constituimus.

§. XIII.

Postremo rem medicam historia multum subleuari, vel ex eo apparet, quod naturalis historiae ope carere minime possit ars sanandi. Nec facile quisquam in dubium reuocabit saluberrimum *morborum*, et quibus adhuc vel depulsi, vel leuati sunt, *medicamentorum historiae vniuersalis* usum, si modo tali historia subuentum esset humanae miseriae. (u)

§. XIV.

De vtilitate *historiae Philosophicae* verba facere haud

mus, de probatione consuetudinis et obseruantiae, tam priuatae, quam publicae. IMMAN. WEBER de iure S. R. I. publico non scripto. CHR. THOMASIVS de iure consuetudinis et obseruantiae.

(s) ILLVSTR. IOH. IAC. MASCOVIUS Princip. Iur. publ. cap. VII. §. I.

(t) Vid. Ordin. Cam. P. I. T. III. §. 1. sequ. Reichs-Hofraths-Ordnung Tit. I. §. 15.

(u) IOANNIS BAPTISTAE CAPONI conatibus, quorum MORHOFIVS in *Polyhistore T. I. Lib. I. cap. XVIII. §. 66.* mentionem fecit, euentum respondisse, haud comperimus, quin vnius hominis industriam vnquam tanto succecturam esse labori, cum eodem MORHOFIO merito dubitamus.

haud est necesse, quando et illam in transitu iam tuiti sumus. Sed nec feliciores eorum ausus fuere, qui *historiae Philosophicae uniuersalis* conficiendae consilia ceperunt, quae eorum, quos in priore paragrapho laudauimus. (x) Plura de *vero et laudabili Historiae usu* recitare nos non fuit ad propositum festinans calamus.



CAP. III.

DE

HISTORIAE ABVS V.

§. I.

Historiae non eundem, atque *nominis eius* ABVSVM esse, ipsa huius Dissertationis inscriptione innuimus. Nimirum *historiae nomen* minus recte imponitur narrationibus fide non satis dignis, siue quarum auctor et rei narratae omnino conscius, et veritati plane deditus haberi nequit. Nam ubi vnum aut alterum fidei faciendae requiritum recte desideratur, narratio titulum historiae haud sustinet, sed *fabulae, commenti, mendacii, erroris* nomen merito subit. Quod etiam ad narrationes solitaria *communi fama* nixas pertinere, censent iusti harum rerum existimatores. Vt ea,

G 3

quae

(x) Interim IONSII, HORNII, VOSSII, GRAVII, COZZANDI, MENAGII, THOMASII, BVDDEI, STRVVII, STOLLII, HEVMANNI, BRÜCKERI, et aliorum nobilis industria laude sua non est fraudanda.

quae nomine *notorii* vel *manifesti* saepe falso venditantur, taceamus. Nam vti aliquid *notorium* siue *euiden-*
issime notum aut *manifestum* esse, vbi ab altero negatur, probari oportere, iudicant Icti: ita iidem vel famae primos auctores, vel generatim testes idoneos earum rerum, quae communi fama et sermone auditaе sunt, requirunt, vbi rectum ferri iudicium debet, quandoquidem fama saepe fallit, et non Icti modo, verum etiam historici, ea, *quae antiquorum traditione constant, si ad fundum vsque exquiras, saepe famam diu creditam corruere, aut vacillare, argute statuunt.* (y) Ergo

(y) P. SIMON RETTENBACHER in Praefatione *Annalium Monasterii Cremisaniensis*. Nec vero antiquorum modo, sed recentiorum fides saepe vacillat, quod HUGO GROTIUS, in *Annalium et Historiarum de rebus Belgicis Lib. I. pag. 2.* de Scriptoribus rerum Belgicarum plerisque minime dissimulauit, satis cautos et prudentes eosdem omnes haud esse profitens, et *nostrarium, aieni plerique scriptores variis rumoribus et incompetis, ut quaeque partium studio vulgabantur, credulitatem legentium decipere.* Generatim SFORTIA PALAVICINVS in *Apparatu ad veram Concilii Tridentini historiam cap. II. §. 1.* de scribente historiam, enunciauit, eundem *solam testis personam agere, narrare, haud probare, immo nec ut oculatum testem loqui, sed ex coniecturis, cum non quod suimet sensus euidenciae subiectum fuerit exponat, sed quod e multorum narrationibus incertis, ambiguis, sibi nonnunquam repugnantibus, indulsia iudicii sui tandem collegerit.* Id quidem in eos, qui ex *auris* scripserunt, haud conuenit, neque ad eos, qui actis publicis, diplomatis, numismatibus, et reliquis probationum historicarum speciebus nituntur, pertinet: plerosque tamen iis praesidiis destitutos, solumque vago rumori, communique famae fidentes ferit. Prudentes historici hodie ad vnum omnes eum GVICHENONIO sic existimant: *Ceux, qui eseruent des Histories particulieres, et qui n'ont point d'Auteurs anciens, qui ayent escrit les choses de leur temps, sont obligez, pour donner soy à leurs ouvrages, d'y adjoyster les*

go non *historiae*, sed *eius nominis abusus* est dicendus, si facta aut res, indignae fide, praestruuntur, vt iniquis postulationibus, nefariis praetextibus, iuribus animo praesumptis, praeiudiciis, opinionibus nouis et falsis, reique cum sacrae, tum ciuili noxiis doctrinis, seruiant. Quod non modo ad res falso creditas aut perscriptas, sed etiam ad rerum circumstantias, et ea, quae scriptores ex ingenio supplent, (z) pertinet.

§. II.

les preuues. Et c'est en cette sorte, que tous les modernes Historiens ont escrit, et particulièrement l'incomparable Monsieur DV CHESNE. Species probationis historicae, quibus ipse vsus est, laudat: les fondations des Monasteres, Franchises des Villes, Hommages faits aux souuerains, concessions faites aux eglises, inscudations, &c. Quod autem supra laudatus BACON ad iustam historiam inter alia requirit, vt ex certis documentis et Archiuis sumatur, id idem alii aliis verbis exprimunt, pragmaticam historiam non nisi eam agnoscetes, in qua dicta diplomatibus, actis publicis, numismatibus, marionibus seu inscriptionibus, et aliis monumentis, atque aequalium scriptorum testimoniis nituntur, et ita dictis fides facta est. Qua ratione historiam primos scripsisse REINECCIOS, MEMORIOS, GEWOLDOS, et HERWARTOS, sentit LEIBNITIUS in Introductione in collectionem Scriptorum Historiae Brunsvicensis inferuentium. Nec id inepte postulant, quum vbi curatiore probatione supersedent auctores, contenti nominasse sum matim auctores suos, et ex eorum scriptis succum quasi expre ssisse, multa ex ingenio procedere, et meliora ac veriora oculis et memoriae subduci solent. Satius igitur est, ipsa loca et monumenta adiungere, vel quoad eius fieri potest, epistolarem componere historiam, qualem certissimam existimauit PONTIFEX ALEXANDER VII. teste EDMUNDO MARTENE in Praefatione Thesauri noui Anecdotorum. Conferatur ceterum de famae et notorii vi in historia EISENHARD I. C. toto cap. V.

(z) GVI ALEXIS LOBINEAV dans la Preface de L'Histoire de Bretagne: *Quant à la maniere d'ecrire l'histoire, il y en a deux, que l'on*

§. II.

Posita igitur historia omnibus numeris absoluta, minimum quod ad eiusdem partes essentielles attinet, abutimur ea, si illa perperam, hoc est contra id, ad quod est instituta, utimur. Sic enim abusum rei alicuius definiunt Philologi, vocem *abutor* Graeco verbo *καταχρησάμεαι* respondere, arbitrantes. (a) Eodem res redit, si abusum historiae finiamus: *Relationem historiae ad fines, iis, quorum ergo comparata est, contrarios.*

§. III.

Fines, quorum ergo historia est comparata, Capite II. excussimus. Inter eos *proprius*, idemque, iudice LUCIANO, *unus, est utilitas, quae ex sola veritate conciliatur.* Cui sententiae plane, et ita subscripsit EISENHART, ut *proprium historiae usum* non esse existimaret, si exempla in historiis obuia animum ad recte viuē-

Ton peut regarder comme les extremités vicieuses. - - L'autre ne prenant dans les Auteurs, qui hey seruent de memoires, que la substance, et le datte des faits, y adjouste, avec une liborté sans bornes, des motifs, des circonstances, des intrigues, et des enchainemens, qui ne sont fondez que sur l'imagination vive et seconde de l'Auteur, qui tombe par là dans le stile de Roman, et puis dans le mépris et dans l'oubli, après avoir brillé aussi peu de tems, qu'il en à fallu au public, pour se desabuser de ces visions chimeriques. Haec in VARILLASIVM maxime conuenire, neino eorum, qui illius scripta legerunt, negabit.

- (a) DONATVS ad TERENTII *Andriam*, in Prol. *utimur*, inquit, *cum honore, abutimur cum iniuria.* Ceterum *abuti* etiam significat rem utendo perdere. CICERO in *Topic.* *Non debet*, inquit, *ea mulier, cui*

viuendum informant. (b) Quem vero nos vsum remotiorem quidem, non tamen ab historiae rationibus alienum, adeoque verum, nec improprium esse arbitramur.

§. IV.

Sed magis inter VIRI quondam ILLVSTRIS, CHRIST. THOMASII, et nostram interest sententiam. Nos omnium artium et disciplinarum, ideoque et historiae, eiusdemque maxime, finem proximum agnoscimus *utilitatem, quae a veritatis manifestatione et amplificatione proficiscitur*. ILLE contra erroneam dicit communem sententiam, eandemque T SCHIRNHAVSII, auctoris *Medicinae mentis: veram eruditionem et sapientiam in cognitione veritatis esse sitam*. Hoc enim eam ob causam negat, *quia dari existimat veritates noxias, magis ad stultos, quam sapientes fingendos idoneas*. Quarum in numero putat rerum amatoriarum prae-

cui vir bonorum suorum vsum legauit, cellis vinariis plenis relictis, putare, id ad se pertinere: vsus enim, non abusus est legatus.

- (b) *De fide historica, cap. I. §. 5. ubi vsum historiae minus proprium, vel secundarium eleganti exemplo legis 5. ff. Ad L. Aquil. illustrauit: uti tutor ille, aiens, cum puero discenti, parum bene facienti quod demonstraauerat, forma calcei cervicem percuteret, monendi quidem causa viebatur forma calcei, hic tamen non erat vsus formae illius proprius: sic qui ex historico quodam opere aut colligunt eleganter loquendi aut scribendi formulas, aut temporis fallendi causa ad animi recreationem historias legunt, - - vsus aliquem historiae percipiunt, rectae quidem rationi congruum, non tamen historiae proprium, sed talem, qui vel ex fabulis eleganter et docte compositis queat percipi.*

H

praematuram notitiam, et generatim omnes res affectus nimium cientes et commouentes. Negat igitur, *omnes veritates utiles esse, quin eas per se nec bonas, nec malas, sed medias vel indifferentes esse*, arbitratur. Quod etiam de errore et inscitia praedicat, quos aequè bonos, atque malos esse posse, existimat. (c)

§. V.

Vana haec esse, vel ex eo solo apparet, quod nulla virtus, nulla felicitas esse queat, quae non a veritatis cognitione proficiscatur, nisi et in animantia bruta, hoc est rationis orba, et in entia sensu carentia, virtutem et felicitatem cadere existimemus, et Deum ideo infelicem putemus, quod omnium rerum, adeoque et malarum conscius est: quod vel cogitare blasphemum pariter, atque absurdum foret. Vnde potius omnem veritatem, etiam quae nocere possit, bonam esse statuimus, qui enim a nocituris cauere poterimus, si ea ignoramus? Quod autem veritates nobis nocere possint, id non ipsis, sed nobis, et imperfectae nostrae veritatum cognitioni acceptum est ferendum. Numquam enim vlla nobis fraudi foret veritas, si omnes, earumque nexum perspiceremus, vti Deus perspicit, cuius respectu, quemadmodum ipse vnus est, ita vna est veritas, hoc est omnes veritates in diuino intellectu sic cohaerent, vt nulla earum pugna existere possit.

§. VI.

Quod igitur LUCIANVS vnum finem historiae
sta-

(c) In *Cautelis circa studium Iuris* Cap. I. §. 3. seqq.

statuit, nempe vtilitatem, quam veritas affert, a ratione minime abhorret, et per omnes fines historiae valet, tum proximos, tum intermedios, tum vltimum: siquidem omnes et verissimi sunt, et ita cohaerent, vt nulla eorum pugna esse possit, et quatenus est, eatenus cesset veritas. Etsi enim varios fines, et varias vtilitates in variis disciplinis habere potest historia: tamen et ipsae disciplinae perpetuo nexu sunt copulatae, et quicquid veri habent, id sic cohaeret, vt disciplinae, et earum veritates inter se collidi non possint: quae enim veritati repugnant, ea non sunt vera, sed falsa. E. g. iustum vere haud est, quod Imperantes homines contra ius diuinum, contraque praecepta Christi, vel a Christo explicata, imperant, tametsi in Iurisprudencia multa pro iustis habentur, quae neque Philosophiae, nec Theologiae probantur, adeoque a Tyrannis quidem, sed non a veritate, sustinentur. Nec quae bona et vtilia secundum tradita Politicorum apparent, vere talia sunt, si verae et perpetuae felicitati, quam sola Theologia et definire, et viam atque rationem eius consequendae monstrare potest, contraria sunt. Tanto minus igitur vera sunt in vna disciplina, quibus veritates eiusdem disciplinae reclamant. Quid? quod veritates, vbi a reliquis, quibuscum connexae sunt, his quasi inuitis et tergiuersantibus, seiunguntur, naturam veritatum amittunt. Hoc si oratorie dictum videatur, mentem nostram sic explicamus: veritates a reliquis auulsae mendacio seruientes vim suam et officium suum perdunt,

§. VII.

Exemplo hoc dilucidabimus: Omnes veteris a

H 2

Deo

Deo cum Iudaeis facti foederis socii erant vnus reipublicae visibilis ciues, quandoquidem ecclesia Israëlitica reipublicae innexa, immo ipsa ad modum ciuitatis administrata fuit. Hanc veritatem vbi a reliquis historiae ecclesiasticae veritatibus, et a rationibus ecclesiae quam Christus condidit auellerunt, fociisque noui a Christo cum vniuerso genere humano pacti foederis accommodarunt conditores reipublicae Christianae vniuersalis visibilis, siue auctores Iuris Pontificii, eo consilio, vt efficerent, omnes, qui Christo nomen dederunt, (dare autem omnibus et permiffum, et imperatum est a Deo,) esse ciues vnus reipublicae visibilis, pari ratione, atque reipublica et ecclesia Israëlitica, administrandae, pro veritate mendacium stabiliuerunt, eoque ipso historia sunt abusi, referendo narrationem de rationibus ecclesiae Iudaicae ad fines contrarios iis, quorum caussa, (ipso Dei spiritu suggerente vel auctore,) memoriae proditae sunt illae rationes.

§. VIII.

Addimus aliud exemplum: Legibus cerimonia- libus, Populo Iudaico per Mosen, ipso Deo praemonstratore et auctore, sancitis, omnes ecclesiae antiquae verae socii tenebantur. Hanc veritatem vbi ad ecclesiam Christianam hactenus pertinere existimarunt Romanae ecclesiae conditores, vt legibus ceremonialibus, paucis exceptis vel mutatis, etiam Christiani sint adstricti, vel adstringendi, veritatem illam a reliquis quibuscum coniuicta est improbe seiunxerunt, illamque de legibus Iudaeorum ritualibus narrationem, siue diuinam histo-

historiam ad fines contrarios referendo, historia verissime sunt abusi,

§. IX.

Qua vero ratione narrationes illas ad fines contrarios retulerint, id etiam demonstrandum est. Finis proximus narrationis de ecclesiae Iudaicae cum republica nexu, modoque administrationis, sine dubio est memoria rei, siue quod idem est, conseruatio veritatis illius. Intermedii fines sunt vtilitates, quas illa narratio aliis disciplinis, generique humano praebet, praeter vltimum, gloriam diuinam, hominumque veram felicitatem. Sed etsi vtilitates illae intermediae non plane nullae, quin variae et magnae in variis disciplinis, variisque hominum rationibus esse possunt, tamen non sunt tantae, tamque multiplices, quantae futurae essent, si status ecclesiae Iudaicae antiquus superaret, vel non mutatus fuisset. Ecclesia enim vera quum Christo Iesu auctore novum induerit ingenium, nouamque formam acceperit, narrationis de antiqua ecclesiae facie et constitutione vsus tantus hodie esse nequit, quantus est rerum continuatarum, et perennium. Quodsi autem quis res mutatas et abrogatas pro praesentibus et perennibus falso venditat, ille non veritatem modo oppugnat, quam quisque tueri debet, sed etiam veritatum et disciplinarum circulos turbat, atque in easdem errores et vitia inuehit, quin immo fines, quorum caussa veritates inueniuntur, reuelantur, memoriaeque produntur, impedit, supprimit, peruertit, euerit. Id quod planissime fecerunt Pontificii iuris et Ro-

manae ecclesiae conditores, christianam ecclesiam ad
 Iudaicae ecclesiae normam et exemplum administra-
 dam existimantes. Nam ita pro vtilitate, quam illa
 narratio habere deberet, maxima rebus publicis da-
 mna attulerunt Iuris Canonici architecti, duplicem sta-
 tum in vnaquaque republica, et duplicem summam po-
 testatem inuehendo, immo imperantes cum ciuibus in
 suam potestatem redigendo. Vt innumera alia incom-
 moda et iniurias, quae ad ciuitates ex illo historiae, ve-
 raeque narrationis de ecclesia Iudaica, ad modum rei-
 publicae olim administranda, abusu et praua adplicatio-
 ne manant, taceamus. Deinde loco vtilitatis, quae
 ad rem sacram et Theologiam ex illa narratione profi-
 cisci et deberet, et posset, multo maxima inde detri-
 menta cepit ecclesia, et sanctissima doctrina. Quae e-
 nim ecclesiae facies, quae forma, et modus admini-
 strandi a christiana ecclesiae rationibus, satis ab ipso
 eius conditore Christo explicatis, alienior esse potest,
 quam Romana, ad instar Iudaicae ecclesiae composita?
 Quot perniciosae et erroris plenae consecutiones non
 potuere ex illo principio non nasci, et in omnes fere a-
 lias veritates, aliasque disciplinas migrare, easdemque
 corrumpere? Dicta etiam ad alterum exemplum per-
 tinent, siquidem et ficta illa legum ceremonialium peren-
 nis, vel potius renouata perperam auctoritas, et ab-
 usus historiae de veteri earum vi et auctoritate non mi-
 nus disciplinas, Theologiam potissimum et ius eccle-
 siasticum, infecit, ex quo Pontifices ea historia contra
 id, ad quod in ipsis diuinis literis memoria legum ce-
 rimonialium dudum antiquatarum conseruata est, abusi
 sunt, et ita abusi sunt, vt primas religionis partes in
 obser-

obseruatione illarum legum, atque in opere operato positam esse putent qui rem diuinam ex Pontificum praescripto faciunt, plusque fiduciae in eis collocauerint, et adhuc collocent, quam in Christi merito et aliis recti piique cultus diuini veris partibus. At nimis angusti nostrae Dissertationis termini pleniorum horum a re sacra mutuatorum exemplorum explanationem non capiunt.

§. X.

Nunc etiam historiae ciuilis abusum exemplis quibusdam apertiore faciamus. Qui vero abusus eodem modo, atque historiae sacrae abusus, contingit, nimirum ita, vt quis veritates historicas ad contrarios fines, quam quorum causa res gestae memoriae mandantur, referat, veritates illas secum inuicem et cum aliis coniunctas scindendo, vtilitates ex historia capiendas impediendo, et intercipiendo, atque pro eis damna et detrimenta cum priuatis tum publicis rebus importando. A qua tractatione non magis, quam a priore, est alienum notare, vel potius ex Philosophia et Theologia repetere, (siquidem salua veritate, saluoque nexu disciplinarum, nec hic nec alibi susque deque haberi potest,) in concursu et conflictu vtilitatum minorem maiori cedere debere, et minorem, quae maiorem impedit, pro damno et incommodo esse. Iam autem quum maior vtilitas esse nequeat, quam felicitas vera, hoc est perpetuum perfectionum incrementum et vsus, cum diuina gloria indiuiso nexu coniunctus: perspicuum est, nullam vtilitatem esse veram, quae verae hominum felicitati, siue perfectionum incremento et vsui obest.

§. XI.

§. XI.

Hanc praemeditationem propterea necessariam duximus, quod maxima hominum, politicorum cumprimis, pars omnem pene historiam vel ad priuatas utilitates, posthabitis omnino publicis, vel ad utilitates specie tantum tales atque fallaces refert, et ita quae humano generi saluti esse et posset et deberet, historia ad humani generis perniciem improbe abutitur. Quod vel ex solo nunc proponendo exemplo patefiet.

§. XII.

Vere pariter atque eleganter IO. IAC. CHIFLETIVS in *Vindiciarum Hispanicarum* dedicatione, *scripta quaedam Gallica*, superiore seculo edita, *armorum praenuncia, et atrocissimorum bellorum fundamenta* appellauit. Quandoquidem scripta illa ex parte memoria et auctoritate rerum antiquitus gestarum vere nitebantur, (d) illorum exemplum eo magis *abusui historiae* exponendo et explicando inseruiet, quo plures calamitates

(d) Sed veris falsa plerumque admisceri in talibus scriptis, haecque, maximo humani generis malo, potentiores non spectatores modo et lectores, sed applausores facile habere, cap. IV. pleniore manu annotabimus. Etiam illa, de quibus loquimur, Gallica scripta hoc nomine reprehendit CHIFLETIVS, *Vindiciarum Hispanicarum*, cap. I. *Quamuis, aëns, assentandi libidine veritas politica infringi solet: ita tamen comparatum esse videmus, ut non tantum Principes ipsi figmentorum portentis aures praebant, sed etiam Reipublicae administri mox aliquid assingant: quo fit, ut paulatim veri inquisitione, quae homini propria est, valere iussa, (secundum TACITVM,) nimia charitate, et ceterorum odio, et si fabulae et immania, credantur.*

tates atque clades illos consecutae sunt praenuncios, omnem doctrinae posteritatem, et scriptis illis Gallicis odiosa Gallis nomina, (quae BLONDELLI maxime Musas irritauerunt, tantumque acerbitatis atraeque bilis elicuerunt, quantum satis erat ad minuendam vtilitatem, quam alioqui forte habitura fuisset incomparabilis salisque plena *Genealogiae Francicae Plenior Assertio*,) recte a CHIFLETIO fuisse imposita, et aliquid monstri fere alere talia per merum historiae abusum antiquitati superstructa scripta.

§. XIII.

Nimirum toto superiore saeculo id egere scriptores Gallici, vt iniustissimorum bellorum auctores et defensores essent, eoque sine etiam historia, verisque narrationibus nefarie abuterentur. Non vero placet omnia omnium improba consilia hic exponere. Sufficiat CASSANI, (e) PVTEANI, (f) et AVBERII (g) execranda dogmata, quibus iam verbis praeiuerat CARDINALIS ARMANDVS RICHELIVS, teste

(e) Conf. IAQVES DE CASSAN *Recherche des Droits du Roy sur les Royaumes Duchez et Comtez occupez par les Princes etrangers.* Cui opposita fuit *Defensio Imperii aduersus Cassanum*, et *Cassani Hiatus obstructus*, auctore ZYPAEO.

(f) Mr. DV PVY *Traité touchant les Droits du Roy sur plusieurs Etats et Seigneuries possedés par plusieurs Princes voisins.*

(g) LE SIEVR D'AVBERY *des iustes Pretensions du Roy sur l'Empire.* Conf. *L'Advocat condamné, ou la France et l'Allemagne également defendues contre le Sieur d'Aubery.*

ste *Historia Ministerii Eiusdem* Lib. X. cap. XXXI. in medium attulisse. Omnia eo redeunt : LVDOVICOS XIII. et XIV. FRANCIAE REGES a CAROLO MAGNO IMPERATORE per HVGONEM CAPETVM genus duxisse, proindeque quidquid iuris uspiam ad amplissimum CAROLI Imperium HVGGO habuisset, idem omnino iisdem LVDOVICIS competere. Lege enim Salica, qua apud Francos solis duntaxat masculis hereditas defertur, quamvis Regii dominii distractionem probiberi: unde nemini iniuriam facturos esse Reges Franciae inferunt, si iure suo utendo vindicias agerent omnium, quae inde a CAROLI MAGNI temporibus Augustissimi Imperatoris Coronae decessissent. Quin inde a CLODOVAE I. tempore iura Regum Francorum repetiit AVBERIVS, sic rationes subducens: Colonia Agrippina et Cameracum sub Rege CLODOVAEO I. ad Monarchiam Francicam pertinuerunt: ideoque etiam nunc ad eam pertinent. Sedes Metropolitanae trium Electorum ecclesiasticorum sitae sunt intra limites antiquae Galliae a Francis subiugatae: ideoque etiam nunc ad Monarchiam Francicam pertinent. Non potest negari, Saxoniam, Thuringiam, Bauariam, et reliquas fere omnes prouincias, ex quibus in praesens constat Imperium Germanicum, verum esse patrimonium, et antiquas acquisitiones Regum Franciae, ideoque etiam nunc ad Monarchiam Francicam pertinere. Solum titulum Regis Franciae reclamare in perpetuum usurpationi Imperatorum Germaniae, et confirmare Coronae Francicae qualemcunque possessionem antiqui patrimonii sui et suorum iurium alienatorum.

§. XIV.

Quot verbis vfi, tot modis historia abusi sunt Politi-
 tici illi, siue narrationes factorum etiam veras ad fines
 retulerunt iis, quorum ergo est historia, contrarios.
 Nam quod ad proximum, siue ad memoriã rerum
 gestarum, et veritatis conseruationem attinet, migrant
 certissime hunc finem, qui ex historia et memoria re-
 rum gestarum aliam rem, quam quae est, facere co-
 nantur: quod sine dubio fit, vbi quis ipsi historiae iu-
 ris vim tribuit, quam per se minime habet. Fac Gal-
 los docere posse, omnia possedisse CLODOVAEVM I.
 CAROLVM M. et alios Reges, quae possedisse dicuntur,
 num inde consequitur, ea adhuc ad Gallos pertinere?
 Nam si vel possessa aliis rapuerat CLODOVAEVS, aut ali-
 us Rex Gallorum, ea rursuseodem iure amittere potuisse
 Reges Galliae, quis negabit? Si iure acquisuerant
 quaedam, quis ambiget, ea rursus ad alios iure trans-
 ferre potuisse Reges? Si vero iure translata sunt, qua
 ratione ex antiquo iure vel facto possessionis efficient,
 ad se ea amplius pertinere? Deinde Historia quid quis-
 que quoque tempore iuris in rebus habuerit, narrat,
 sed ius vnus temporis referendo, non excludit ius al-
 terius temporis, nec efficit, vt quod vno tempore ali-
 cuius fuit, id omni tempore eius esse debeat. Verbo
 confundunt vim et officia iurisprudẽtiae cum historiae
 munere, non cogitantes, *quemadmodum natura non vno
 modo circa vnã rem versatur, ita nec artes vno modo cir-
 ca res versari. Nam sicuti solis vis quercum educit, at-
 que firmat, aqua putrefacit, ignis absumit: sic faber ei-
 dem quercui formã abaci imponit: statuarius louis: ar-*

*cbitectus tigni. Par item ratio in scientiis est. Homi-
nem contemplatur Philosophus naturalis, vt mouetur:
Geometra, quatenus eum metiri debet: Medicus, quem
a morbis aut vindicet, aut tueatur.* (h) Iureconful-
tus, quod cuiusque nunc est, id sequitur, et vt cuique
tribuatur, vel auctor est, vel ipse tribuit: Historicus
quid cuiusque vel vno tempore fuerit, saluo iure reli-
quorum temporum, narrat, vel etiam quouis
tempore cuiusque fuerit refert, suum praestans officium,
si per omnes temporum vicissitudines id accurate
obseruet, et saluo vnus cuiusque iure id facit, illatio-
nibus et conclusionibus, ad ius et iustitiam pertinentibus
Iureconfultorum iudicio relictis. Sicuti autem mala fi-
de agit historicus, qui res gestas plurium aetatum per-
scribens, non omnes possessionum et dominiorum com-
mutationes notat, sed vnam vel alteram memoriae
mandans, reliquas eo consilio praeteruehit, vt vnus
facti memoria liti futurae obtentui sit, reliquorum con-
tra factorum memoria deleatur: ita bona fide fieri ne-
quit, vt historia vtens vel vno facto nitatur, missis reli-
quis cum eo connexis, vel fuso colorem mentiens re-
liqua facta eneruare studeat. Haec enim omnia eo spe-
ctarent, vt veritas, quae per omnium temporum pe-
riodos valere, et quousque potest, eousque patere de-
bet, arctaretur, maximamque partem supprimeretur,
veraque totius generis humani vtilitas, priuati com-
modi, aut vnus populi causa, minueretur et interci-
peretur. Quod nefas esse, nemo aequus censor nega-
bit.

§. XV.

(h) IULIUS CAESAR SCALIGER *de causis linguae Latinae* Lib. I.
Cap. I.

§. XV.

Iam vero quid aliud egerunt astuti Galli? Ex omni, historia tantum illa, quae sibi, vtilia fuere facta, neglectis reliquis, exciperunt, et quasi ramos de arbore, renitente hac, defregerunt. Qua enim fide sub CLODOVAEO I. Coloniam Agrippinam et Cameracum ad Monarchiam Francicam pertinuisse, et sedes Metropolitanas trium Electorum ecclesiasticorum intra limites antiquae Galliae a Francis subiugatae sitas esse, deinde Saxoniam, Thuringiam, Bauariam, et reliquas fere omnes prouincias, ex quibus in praesens constat Imperium Germanicum, olim acquisuisse Reges Franciae, aiunt, eadem fide scriptorum Francicorum testimonio atque praesidio muniti Germani tuentur: Transactione filiorum Ludouici Pii, Lodhuuici et Karoli, Anno DCCCXLII, Argentorati (i) et Anno DCCCXXXIII. Viroduni, vbi demum et Lotharius ad conditionem accessit, (k) denique Anno DCCCXLVII. apud Marfnam, (l) Germanos sui iuris esse factos, quod vel ipsae conditiones pacis et transactionum formulae testatum faciunt, (m) Et quamuis haud iniuste obiici-

I 3

ant,

(i) Vid. ANDREAE DV CHESNE *Historiae Francorum Scriptores Tom. II. pag. 381.*

(k) Vid. *Annales Bertiniani*, NITHARDVS de *Dissenfionibus filiorum Ludouici pii Imper. Lib. IV.* apud ANDREAM DV CHESNE *Tom. II.* SIGEBERTVS GEMBLACENSIS ad A. 844. CAROLVS LE COINTE *Annal. Franc. ad Annum 843.* Praeteruehinus *Scriptores German.*

(l) *Annales Bertiniani* ad Annum 851. STEPHANI BALVZII *Capitularia Regum Franc. Tom. II. pag. 41. et 45.*

(m) Confer. SCHVRFLEISCH de *Diuisione Imperii Carolini, §.*

ant, iuri succedendi in illis conuentionibus non renun-
 ciaſſe fratres, fratrumque filios, (quod contra ILLV-
 STRIS DE LVDEWIG factum eſſe ſtatuit, (o)) quin
 ipſos Ludouici Germanici poſteros eodem uſos eſſe, ideo-
 que exſtineta cum LVDOVICO INFANTE masculina *ſtirpe*
Carolingica in Germania, hanc CAROLI MAGNI
 poſteris in Gallia acceſſiſſe, vel accedere debuiſſe: tamen
 vel ex his nemo ſupereſt, cui non maior ab ipſis Gal-
 lis, quam a Germanis illata fuerit iniuria, cum Galli
 non ſemel masculinam CAROLI MAGNI poſteritatem
 perfide deſeruerint, id quod maxime HVGONIS CA-
 PETI uoluntati obſequentes fecerunt: vel temporis in-
 iuria fuit, quae Gallis facta eſt per CONRADI I. ele-
 ctionem, ſiquidem CAROLVM SIMPLICEM regem
 Gallorum Germanis aduerſus Hungaros uigentes
 tuendis imparem fuiſſe, ipſi Galli, dum a CAROLO deſci-
 uerunt, ſatis profeſſi ſunt: vel ſi quid a Germanis, mortuo
 LVDOVICO INFANTE, delictum fuit, dudum et mature illius
 delicti gratia facta eſt, quandoquidem non modo ipſe CARO-
 LVVS cum HENRICO AVCVPE, qua Francorum Orientalium
 Rege, (o) Anno DCCCCXXVI. Bonnae, nulla in Germa-
 niam competentis vel reſeruati iuris mentione facta, pactus
 eſt,

35. CONRING *de Germanorum Imperio Romano*, cap. IX. §. 9.
 et 10.

(n) Vid. *Rechtliche Erläuterung der Reichs-Hiſtorie* p. 55.

(o) Vid. Pactum in BALVZII *Capitularibus Regum Francorum*,
 Tom. II. pag. 299. ubi: *Ego Karolus diuina propitiante clementia*
Rex Francorum occidentalium a modo ero huic amico Regi orientali
Henrico amicus, ſicut per rectum debet eſſe amico ſuo, ſecundum
meum ſcire ac poſſe. Conf. SIGEBERTVS GEMBLACENSIS ad
 A. 923. OTTO FRISINGENSIS Lib. VI. Cap. XVIII.

est, quin Lotharingiam Henrico concessit, sed etiam postquam CAROLVS iuratum foedus violauerat, et Lotharingicas terras denuo inuaserat, Galli vero ab eo deficientes se in ROBERTI COMITIS fidem et potestatem permiserant, hic cum vniuerso populo, efflagitato ante HENRICI AVCVPIIS auxilio, ab hoc adiutus se in eius clientelam contulit. (p) Vt innumera alia pacta iurata, quae iam dicta consequuta sunt, taceamus, dictis iam satis probantibus, quam improbe recentiorum causae bellorum ab antiquis illis iuribus arcessantur.

§. XVI.

His equidem iniquitatibus duo petierunt praesidia, a fucos alterum et fraudulosa iuris applicatione: alterum a iuris gentium manifesta violatione. Primo aiunt, quod semel alicuius fuit, id perpetuo eius esse praesumitur, siquidem notissimi iuris est, quod mutatio non praesumatur. Deinde negant, quod vnquam ad Regnum Galliae pertinuit, id ab eo vnquam diuelli posse per legem Salicam, nec Sacramenti vim impedire posse, quo minus opportuna vlciscendae iniuriae occasione uti possit Rex et Regnum laesum, suum interim dolorem rectissime dissimulans. (q)

§. XVII.

(p) FRODOARDVS ad A. 921. seqq. WITTICHINDVS Lib. I. p. 637. seqq.

(q) *Les traités solennels, quoi qu'ils soient confirmés par serment, n'obligent aucune manière les Rois de France, s'ils ne sont faits à leur avantage, parce que par la Loy Salique les droits de cette Couronne sont inaliénables,*

Ad primum respondemus : Mutatio non praesumitur, vbi factae nullá vestigia exstant, At vbi et factam esse, et necessario factam esse, negari nequit, vti in omnibus rebus humanis fit, nec enim homines, nec res perpetuo durant, sed voluntur vti stellarum cursus sempiterni : qua ratione pristinum statum, pristinumque ius integrum praesumere poterimus ? Quod Galli non amplius possident, illius possessio sine dubio mutata est : ergo et ius mutatum merito praesumitur, vel ex tam diuturna aliorum possessione colligitur, quamuis disertis consensus memoria non fuisset conseruata. Vigilantibus enim iura, non ab hominibus modo condita, sed etiam nobiscum nata, sunt scripta. Ad alterum vero SAM. PUFFENDORFFIVS (r) regeffit : *Quod aliqui iactant vel de omnibus regnis, vel de vno aliquo, bona coronae inserta, seu vti loquuntur, incorporata, nulla ratione posse alienari, nec longissimum temporis tractum, alteriusque quietam possessionem impedire, quo minus vindicari semper queant, id sine dubio vanum est. Multo autem ineptius vni alicui regno eiusmodi priuilegium assertum eunt, vt ipsum quidem aliis sua eripere possit, sed quae semel arripuerit, nunquam vlló modo ab eo iterum separari queant.* Et NIC. HIERON. GVNDLINGIVS de iure oppignorati territorii §. XXVIII. *Vt nihil dicam de*
Je-

et par consequent inprescriptibles. AUBERY Lib. I. cap. III. des Justes Pretensions du Roy sur l'Empire.

(r) De Iure Naturae et Gentium Lib. VIII. cap. V. §. 9.

lege Salica, de cuius forte antiquitate et existentia non inepte aliquis dubitaret, id nunc inprimis considerandum esse duco, nihil valituram eiusmodi legem, quae naturae et gentium iura, omnemque humanitatem evertit, regesque ad id, quod praestitu non est possibile, adstringit. (s)

§. XVIII.

Manu tenemus nunc abusum historiae, cuius reos fecimus scriptores Gallicos, et exploratum est, nequiter veritatem eosdem oppugnasse et minuisse, veri aliquid dicentes, minimeque ad eos fines, quorum gratia historiae scribendae sunt, vel memoria rerum conservanda, sed ad contrarios, eandem retulisse. Nam praeter proximum, veritatis amplificationem, etiam reliquos, vltimum maxime, certissime impediunt, qui perpetuorum bellorum auctores sunt, quippe quibus humani generis felicitas, et summi numinis gloria, tantum abest vt augeatur, vt potius vtrique eripiatur. Quin nec cui inhiant, eundem assequuntur finem, priuatam suorum vtilitatem, nisi vtilitatem et felicitatem in magnitudine et multitudine terrarum, miseris nudisque incolis refertarum, sitam esse existimemus. Pone, sitam esse, ecquid futurum esse putant Galli, si pericula cum aliena, tum propria, cautiore demum

K

faci-

(s) Conferatur IOAN. FRIDER. GRONOVIVS ad HVGON. GROT. *de iure belli et pacis*, Lib. II. cap. VI. §. VI. n. 18.

facient gentes, ad ea animum intendentes, quae viri cordatiores quasi diuinando praedixerunt, et euentus iam saepe comprobauit. (t)

§. XIX.

Parem abusum historiae Gallis superiore seculo exprobrauit GROTIVS, Epist. 736. *In Catalonos, in-quiens, ius repetunt Galli a Caroli M. temporibus, aiuntque, contra regnum Galliae nullos valere temporum lapsus.* (u) *Ita sibi fingunt iura, quibus aliarum gentium nulla assentiatur, quale est ius, quod vocant, vnionis, ex quo cuncta semel a Galliae Regibus possessa, etiamsi aliunde ei obuenerint, apud Regem manere debent. Multa habent talia, in quibus sibi blandiuntur.* Quod GROTIVS hic de iure vnionis dixit, id, quatenus legis Salicae nomine aliis regnis aut terris inhiant Galli, eatenus ad vnionum iudicia, quae Anno MDCLXXXII. seqq. fer-
buere,

(t) Hoc nomine prae caeteris laudanda sunt scripta SVMMI VIRI LIBERI BARONIS DE LISOLA, speciatim elegantissimus liber *Le Bouchier d'Etat et de Iustice contre les pretençons de la Reine* inscriptus, cuius sensus et vtilitas latius patet, quam inscriptio.

(u) Nec pacta et transactiones. *Nam aeternos volunt seruare titulos semel acquisite possessionis, hoc est semina bellorum: ut cum negant, Francisco I. captiuo ius fuisse Carolo V. cedendi regnum Neapolitanum, Ducatum Infabriae, et Pronincias Belgicas, quae regni Galliae feudum erant. Quam sancte et pie illi faciant, ipsi viderint.* GRONOVIVS loc. cit.

buere, haud pertinet. Quo maior ex illis iudiciis historiae abusus eminuit, siquidem ipsi Galli alium, quam transactionis Monasteriensis titulum possessioni terrarum, quas contra foedus Chambordicum, cum MAVRITIO Saxoniae Electore ictum, Seculo XVI. occupauerant, illaque transactione eis concesserant Germani, non praetexerunt. Atqui in illa transactione non magis de antiquis Alsatiae et reliquarum Franciae cessarum terrarum finibus cogitauerant paciscentes, quam fines prouinciarum perpetui, aut a natura, vel ab hominibus sic constituti sunt, vt nunquam mutari et aliter regi possint. *Iudiciorum illorum vnionis iniustitia tanta erat, vt nec amici Gallorum eandem dissimularent. Tempus est, dicebat FÜRSTENBERGIVS, ARGENTORATENSIVM PRAESVL, a Gallo reunionibus et dependentiis finem imponi. Heri se impressum decretum accepisse, quo Stabloënsis Praesulatus inter dependentias referatur, cum tamen demonstrari queat, eum ante sexcentos annos Archiepiscopatu Colonienfi annexum, eoque Romani Imperii membrum fuisse. Ad eius fundationem quidem Comitem quempiam, qui Regis Dagoberti vasallus fuerit, aliquid contribuisse: sed si omnia ad prima principia renouanda sint, ipsum Galliae Regem Romano Imperio subiectum iri. (x) Quibus verbis summus ille Gallorum amicus se eadem metuere indicauit, quae nos ipsis Gallis ab historiae abusu metuenda esse, in transitu monuimus: (y) Si enim ab ultimis temporibus repetere iura iustum videretur gentibus,*

K 2

(x) PVPENDORFF. de Rebus gestis Friderici Wilhelmi, pag. 1419. §. 38.

(y) In Commentatione de Usucapione Iurispublici, §. 81.

tibus, pessime Gallis consultum foret. Quo enim iure labefactare et rescindere audent transactiones, possessiones, et quicquid iuris in pace et in bello quaesitum est aliis post Clodouaeum, eodem, si non maiore, alii vindicare possent, quae Clodouaeus, interfecto Syagrio occupauit. Ut in iustitiam reliquarum Clodouaei, filiorumque, Dagoberti, Caroli Martelli, Pipini, et Caroli M. expeditionum non inquiramus. (z) Quid? quod iam magno suo incommodo experti sunt Galli, HENRICE III. aetate, quantam rerum omnium confusionem, quantos tumultus et bella excitare possit rerum antiquitus gestarum memoria, si improbis consiliis seruit. Id quod GVISIORVM exemplum condocet. Conf. *L'histoire de France par PERE DANIEL T. IX.*

§. XX.

Absoluimus nostram de historiae apud Gallos frequentissimo abusu tractationem his TULLII (*de Officiis Lib. II. Cap. XIV.*) verbis: *Duri hominis, vel potius vix hominis est, periculum inferre multis. Id tum periculosum est ipsi, tum etiam sordidum ad famam.* Quod tanto magis in eos quadrat, qui republicas earumque moderatores concitant, quanto maiores calamitates inde

(z) Obiecit non nemo, edita nostra Commentatione, *non superesse, qui iure illas ulcisci iniurias possent.* Sed si nihil est Turcorum ius, sicuti est, vel Russorum Principibus, quippe qui in Graecorum Imperatorum iura successerunt, vel Populo Romano haud extincto, conseruata sunt antiqua Populi et Imperatorum Romanorum in Gallia iura, si rerum a Populo, vel eius Rectore semel possessarum, perpetua auctoritas est, eaeque etiam nullo animi retinendi signo edito, retineri possunt, quod Galli statuunt.

de accipit humanum genus, quoue periculosiores sunt iniuriae, quae opinione vel obtentu iuris et iustitiae inferuntur, quandoquidem spem omnem poenitentiae praecidit, et quasi viam obsepit opinio iuris.

§. XXI.

Decreueramus quidem *abusum historiae* etiam domesticis, siue Germanorum propriis exemplis planiorem facere, atque ostendere, quam male multi ad facta antiqua dudum mutata prouocent, cumque rem priuatam tum publicam improbe turbent. (a) Sed ita nostra accreuit dissertatio, vt exempla illa ad separatam Syllogen sint reicienda.

§. XXII.

Etsi autem eadem caussa obstat, quo minus adnucolorum historiae, quae dicunt, *Geographiae, Chronologiae &c.* abusum hic explanare possimus: tamen *Genealogiae* et *Artis Heraldicae*, vel ad easdem pertinentium rerum abusum vno et eleganti exemplo illustrare placet, quod Deductio quaedam Anno MDCCXXXIII. in Franconia typis exscripta his verbis

K 3

prae

(a) Improbe id fieri, nemo rerum humanarum conditionem considerans negabit: siquidem hominum indigentia et vtilitas variabilis necessario facta et pacta, indeque nata iura subinde mutit, vt de iis dictum recte putes, quod apud A. GELLIVM Noct. Attic. Lib. XX. Cap. I. SEXTVS CAECILIVS de mutatione legum enunciauit, et ex illo ad *fontes Iuris Ciuilis* apte transtulit IACOB. GOTHOFREDVS. Conf. VIRI AMPLISSIMI EVERHARDI OTTONIS *Thesaurus Iuris Romani* T. III. p. 69.

prae se fert: Rechtsgegründete Vertheidigung der alt-hergebrachten Fränkischen Lehens-Gewohnheit, vermöge deren die Agnati Collaterales die Succession in denen Fränkisch: so wohl alt- als neuen Lehnen ohne Unterscheid, ob sie von dem primo acquirente abstammen oder nicht, auf gleichen Nahmen, Stammen, Schild und Helm, zu behaupten berechtiget seynd. Hoc enim sibi vult illa Expositio, vt qui eiusdem nominis et generis sint, atque iisdem gentilitiis insignibus vtantur, etsi nec a primo acquirente descendunt, nec eis a Domino directo ius succedendi tributum est, eo tamen gaudeant. Cuius iuris fundamentum cum nec in prouidentia primi acquirentis, nec in pacto domini directi cum Agnatis collateralibus primi acquirentis positum sit, a feudorum natura et communi iure ita abit illud ius, vt merum abusum si non ipsius Genealogiae et artis Heraldicae, certe vis et potestatis insignium gentilitiorum et agnationis, redoleat. Quod si Agnatorum collateralium intentio consuetudine nititur, quod Deductionis inscriptio innuit, eum morem plene et planissime probare oportet: at adeo difficilis adhuc in caussis controuersis fuit probatio, vt suprema Imperii R. G. Iudicia permoueri non potuerint, vt secundum Agnatos collaterales sententiam dicerent. (b) Plura non capit haec Commentatio.

CAP.

(b) Vid. PERILLVSTRIS G. M. DE LVDOLF *Symphorem. Consult. et Decis. for. T. I. Conf. VIII.*



CAP. IV.

DE

ABVSV NOMINIS HISTORIAE.

§. I.

Abusui nominis historiae exponendo iam prolusimus Cap. III. §. I. ex quo intelligi potest, *abusum nominis historiae nobis esse commentorum et fabularum subiectionem aut venditationem pro veris historiis.*

§. II.

Hoc genus abusuum adeo frequens est, vt inde esse arbitremur, quod lureconfulti testimoniis historicorum, nisi publicis monumentis firmata sint, vel nihil, vel parum fidei habeant. Quod vel sola HENRICI BODINI Dissertatio *de eo quod iustum est circa testimonium Historicorum* docet. (c) Conf. FRANZKIVS *Lib. III. Var. Resol.*

(c) Disquisiuit prolixè: *Vtrum probent testimonia historica in iudicio? quatenus? an probent, si dissentientes adsint? Videndum esse monuit: vtrum eorum maior, an par, an minor numerus? Vtrum historicus oculatus, an auritus sit testis? an fuerit in celebritate versatus? an gratiae vel odii suspectus? quid dixerit? an noui quid? an magni praecudicii quid? vtrum abscisse, an debite, an iuratus protulerit quae habet? an praesidiis actorum publicorum aut diplomatum munitus sit? Postremo omnia ex arbitrio Iudicis pendere, et nisi aliae probationes accesserint, historicis scriptis aegre nisi posse iudicem, existimauit. Quae cum in causis priuatis ita se habeant, in publicis profecto requisitorum fidei*

Resol. I. n. 232. ANDLERVS et innumeri alii Doctores, quos laudare nec vaçat, nec necessarium est.

§. III.

Nec etiam ad explicandos abusus nominis historiae pluribus opus esse arbitramur. Satius erit, exemplis condocere, quam facile sit, in abusum nominis historiae incidere, eoque decipi,

§. IV.

Exemplum primum quo *nominis historiae abusum* illustrare placet, est domesticum. Sunt, qui Iudicium Imperiale aulicum vt nouum et contra ius fasque a Ferdinando I. constitutum Archidicasterium differunt, praesidium opinioni suae ab historia magno, at irrito conatu petentes. *Sententiae huius auctor est HYPOLITVS A LAPIDE, de Ratione status in Imperio R. G. P. I. cap. XIII. verbis: Iudicium Imperiale aulicum nouum et illegitimum est Austriacae domus inuentum, et contra Imperii leges et iura, in perniciem ordinum, communisque libertatis tendens machinatio.* Idem fere sentit auctor *der Donawerthischen Information, de Anno MDCXI. et Dominus DE LVDEWIG in der Rechtlichen Erläuterung der Reichs-Historie p. 336. seqq.* Conferatur Domini DE LVDOLF *Historia sustentationis Iudicii supremi Camerae Imperialis, p. 2. seqq.* DECKHERR in *Vindiciis seu Annotationibus*

fidei rationem haberi tanto magis conuenit, quanto maiora mala ex bellis, quae publico nomine geruntur, quam ex priuatis litibus nascuntur.

bus ad BEVMII Processum Cameral, Tit. IV. n. I. LONDORPII acta publica, T. I. Cap. II.

§. V.

Sed rationes horum omnium minime sufficiunt probandae illi opinioni. Negantem sententiam sequentia tuentur argumenta. Certum est Imperatorem ante annum MCCCCXCV. quo iudicium Camerale hodiernum est constitutum, in Imperio ius dixisse per Iudicium, quod dicebatur *das Käyserliche Cammer-Gericht*, item *das Käyserl. Hof-Gericht*, *das Käyserliche Cammer- und Hof-Gericht*, *des Käysers und des Reichs Hof-Gericht in seinem Käyserl. Hof*. Sic enim in diplomatibus et legibus Imperii passim dicitur. Vid. *Codex diplomaticus in KVLPISII Scriptoribus rerum Germanicarum, et Documenta Parti I. Informat. Donawerth. adiecta, n. 12. p. 242.* Hoc iudicium ante A. MCCCCXCV. erat summum in Imperio idemque vnum Tribunal. Vid. *Käyser Friedrichs Urthel-Brief de anno 1472. in GOLDASTI Reichs-Satzungen fol. 165.* vel si altius repetere velis historiam, *LEHMANNI Speyerische Chronick, Lib. V. cap. 108.* Nunc est in quaestione, *utrum hoc iudicium Imperiale aulicum antiquum, constituta anno 1495. noua Camera Imperiali, sublatum, vel in eius locum surrogatum fuerit Camera, et in hanc illius potestas translata, nec ne?* Abrogatio haec et translatio quum facti sit, resque maximi praeiudicii Caesaris contemplatione, temere haud est praesumenda, sed accurate probanda. At nec in actis comitiorum Wormatiensium, quae apud MULLERVM *in dem Reichs-Tages-Theatro unter Maxim. I. p. 199. seqq.* et DATTIVM *de pace publica*

*blica L. IV. Cap. I. et L. V. Cap. I. et VII. extant, nec alibi, vllum est vestigium illius abrogationis et translationis, quin in der Handlung und Abschied des Königl. Tages zu Worms, §. 78. dicitur: tum temporis nouum iudicium Imperii constituere opus fuisse, et nouum esse constitutum, pacis publicae tunc constitutae tuendae caussa. Etiam verbum aufrichten, quo vsus est Imperator, plane aliud iudicium, quam quod iam constitutum erat, innuit; maxime cum et personae constituentes, et personae constitutae, et tota ratio constitutae rei, nouam et aliam rem indicent. Vetus iudicium aulicum solus Imperator constituerebat: Cameram ex eo tempore, quo primum ordinata est, constituunt Imperator et status. Iudex, Praesides, et Assessores Camerae statim alii erant, quam veteris iudicii Imper. aulici membra. Rationes constitutae Camerae a veteris Iudicii rationibus multum et plane differunt. Conferatur die Handlung und Abschied des Königl. Tages zu Worms, §. 78. et *Ordinatio Iudicii Cameralis de anno 1495. DATTIVS l. c. Adhoc Acta Comitiorum Treuirensium et Colonienfium de anno 1512. caussas in Imperatoris aula fuisse actas. condocent: nec non die alte Reichs Hofraths Ordnung de anno 1559. apud LEHMANNVM in der Reichshandlung vom Religions Frieden, Lib. I. Cap. 37. in qua Imperator dicit: So haben wir bis anhero zu Beförderung und Verrichtung der Iustitia und Parthenen Sachen unsern Käyserlichen Hofrath erhalten, welchen wir auch hin für an gleichermaßen erhalten, und der Nothdurft nach mit noch mehr ansehnlichen, erbaren, frommen, geschickten und gelehrten Personen aus dem Reich und unsern Nie:**

Nieder- und Ober-Oesterreichischen Landen ersegen wollen, conseruatae iurisdictionis antiquae, nec per Iudicium Camerale sublatae et deletae, satis digna fide sunt testimonia. Et cum effatis Imperatoris non magis, quam ipsi Iudicio aulico tum temporis quisquam reclamauerit, elogii huius, et ipsius rei maior profecto est auctoritas atque vis, quam eius argumenti, quo HIPPOLYTI A LAPIDE sententiam recentiores ex monitis quorundam Principum, (d) quinquaginta fere annos post restauratum Iudicium aulicum factis, tueri student, nec vero plus efficiunt, quam quod efficere potest historiae nomen commento perperam impositum.

§. VI.

Alterum exemplum ex historia sacra promimus. FRANCISCVS BURMANNVS *de Synagoga*, CAMPEGIVS VITRINGA *de Synagoga vetere*, GROTIVS, SELDENVS, BINGHAMVS, ILLUSTRIS BOEHMERVS, et alii, ecclesiae a Christo conditae regimen et administrationem primitus respondisse regimini Synagogae Iudaicae, et ad illius exemplum sacra sua et disciplinam composuisse antiquos Christianos, statuunt. Non est nostri instituti hic commemorare, cui bono id statuant. Satis est monuisse, omnibus, quibus vsi sunt ratiociniis non plus effecisse doctissimos illos viros, quam in nonnullis conuenisse ecclesias primas cum Synagogis Iudaicis, minime vero in iis, quae ad primarias partes et naturam ecclesiae pertinent, et in ipsis sacris literis aliter definita sunt, quam illi viri per

L 2

com-

(d) Conf. LVDEWIGII *Rechtliche Erläuterung der Reichs-Geschichte* pag. 337.

comparationem ecclesiae christianae nascentis cum Synagoga definiuere. Non enim sufficit, eos imaginem Synagogae Iudaicae in ecclesia nascente videre sibi vi-
 fos esse, quando res ipsas satis distinxit diuina auctori-
 tas. Id quod factum esse ad HENRICI WOTTONI
 Dissertationes *de diuinitus instituto Clero Christiano*, et
de vnitae ecclesiae, euicimus. Interim conferantur
 VIRORVM SVMMÆ VENERABILIVM C. M. PFAFF-
 FII *Origines Iur. Eccles. Art. III. p. 89. sequ.* et I. L.
 MOSHEMII *Instit. Histor. Eccles. mai. Sec. I. P. II. §. 9.*
 Quae similitudinem in illis diuersissimis rebus inter se
 habere videntur, iis facile vsu venit, quod CICERO de
 rebus in speciem similibus dixit:

Nonnunquam errorem creat similitudo. (e)

Creauit certe multos et magnos errores illa, renitente et
 tergiuerfante re, opinione dilatata similitudo ecclesiae
 Christianae et Synagogae Iudaicae, vt quatenus errauere,
 eatenus historiae nomine nimium quantum abusi sint viri
 eruditissimi. De quo alio loco copiosius dicturi sumus.

§. VII.

Alio insuper exemplo *abusum nominis historiae*, e-
 iusdemque sacrae, explanare placet. Vix vnquam quis-
 quam improbius de Deo sensit aut loquutus est, quam
 VALENTINVS, PHREBONITES, vel PHARBAITES,
 vel PROSOPITES. Hic si tantum incommode de re-
 bus diuinis dixisset, forte ferendus fuisset. At qui fer-
 ri et excusari possint execrabilia illius somnia de duplici
 principio primo, de Aeonibus vel naturis vtriusque se-
 xus triginta, de Christo ex Aeonibus vno, et aliis eius-
 modi

(e) De Diuinat. pag. 120.

modi dogmatibus, *fundamentum et columnam fidei nostrae, sacram scripturam*, (f) aperte euertentibus, nec veteres viderunt, (g) nec recentiores (h) vident, exceptis CHRISTIANO THOMASIO, (i) PETRO FAYDITO, (k) et G. ARNOLDO. (l) Silemus de I. BEAVSOBRE, VITRINGA, et nonnullis aliis, cum primis illis, quibus solenne est clanculum in rem ab aliis paratam venire, et prae caeteris ARNOLDI, THOMASII, et BOEHMERI messem diligentissime metere. Non vno quidem et eodem modo VALENTINI causam defendendam susceperunt nominati viri, omnes tamen vel tumentur, vel excusant, antiquitatibus duplici ratione abutentes, dum fide dignissima IRENAEI et TERTULLIANI testimonia abiiciunt, et in eorum locum vel fide indigna testimonia supponunt, vel ex ingeniis procacibus quae probare nunquam poterunt propterea suppleant, quod omnia dogmata, (liceat enim nobis veram temere susceptae haereticorum tuitionis causam indicare,) perinde esse arbitrentur, vti accipiuntur ab hominibus, nec magis referre, homines de Deo quascunque velint opiniones habere, verisque falsa pro luto

L 3

bitu

(f) IRENAEVS Lib. III. Cap. I.

(g) IDEM Aduersus Haeresin Valentini et similium, TERTULLIANVS Lib. de Praescriptione, cap. 49. ORIGENES *περὶ ἀρχῶν Lib. IV. cap. VII.* HIERONYMVS in Prooemio Epist. ad Philip, T. IV. Oper. p. 211. EPIPHANIVS Haeres. 31.

(h) TILLEMONT dans les *Memoires historiques Sec. II. ITTIGIVS Histor. eccl. Sec. II. C. 7.* BVDDEVS *Diff. de haeresi Valent.* IO. CLERICVS *Hist. eccl. p. 506. et 582. seq.* VENERAB. MOSHEMII *Instit. Hist. Eccl. S. II. P. II. §. 4.*

(i) in *Cautelis circa studium iur. eccles. cap. XI. §. 28. et 29.*

(k) Vid. Eiusd. *Memoires contre l'histoire de Tillemont*, Eiusd. *Ecclaircissement sur l'histoire eccl. des deux premiers siecles p. 12. et Alteration du dogme Theologique par la philosophie d'Aristote, p. 186. 305.*

(l) *Kirchen- und Betzer-Historie, Lib. II. Cap. IV. §. 16-25.*

bitu admiscere, quam PLAVTINVM coquum vna multa confundere iura.

§. VIII.

Multis et innumeris aliis exemplis doceri posset, quam noxius literis, et nominatim iuri ecclesiastico, quo vtuntur qui rem diuinam ex praescripto diuinarum literarum et cum his omnino consentientis Augustanae Confessionis faciunt, adhuc fuerit antiquitatum, maximam partem ex hominum ingeniis natarum, siue nominis historiae abusus. Sed hoc alii loco et tempore referuare nos cogit consilium nostrum.

CONCLUSIO.

§. IX.

Quod autem supra innuimus, quo longius antiquitates arcessantur, eo infirmiora esse quae illis superstruuntur, id nunc in fine Dissertationis sic explicamus, vt omnem equidem historiam, quin et fragmenta et reliquias antiquitatis multis in rebus magno vsui esse humano generi, non vero quae vel in sacris diuina, vel in profanis humana auctoritas, scriptis legibus, et vsu diuturno satis firmavit, labefactare et euertere posse vel debere, existimemus. Nam etsi error immemoriali tempore confirmatus non minus error est, quam ante momentum natus: tamen tanta nunquam esse potest humanae fidei vel testimoniorum vis, vt diuina testimonia erroris nomine suspecta esse hominibus recte queant, nec quae olim facta esse antiquitas loquitur, confectorum temporum, et quae in illis facta sunt, auctoritatem vincere possint, maxime vbi fides historici vel minima ex parte vacillat. (m) Quo iustior igitur semper est lectoris de re, quam temporis varietas et longinquitas obscurauit, sententia:

Quis rem tam veterem pro certo affirmet. (n)

(m) MABILLONIVS *de Re Diplom. Lib. III. cap. VI.* et RVINARTVS in Praefat. ad Eundem p. 7: *Semper iudicandum esse, existimant, in partem fauorabilem, vbi res longa possessione firmata est.*

(n) LIVIVS Hist. Lib. I. Cap. III.



SYLLOGE
EXEMPLORVM
ABVSVM
HISTORIAE EIVSQUE NOMINIS
ILLVSTRANTIVM.

1918

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PHYSICS DEPARTMENT

RESEARCH REPORT

CAP. I.

DE

HISTORIAE ABVSU IN
IVRE CIVILI.

§. I.



Quaquam *historiae eiusque nominis abusum* cum explicarem, iam tum omnia in numero habuimus, quae ad rem demonstrandam, et exemplis illustrandam necessaria erant, ex quibus quantum satis duximus, tantum in medium attulimus: praesenti tamen Syllogae quaedam reseruauimus nobilissima, eademque domestica, duplicis illius *abusus* specimina, nunc etiam nostra cum epicrisi addenda, siquidem et argumenti nostri dignitatem confirmant, et communem haecenus augent utilitatem, quod commonefaciunt lectores, ut caueant ab illis, qui antiquitatibus nec recte utuntur, nec iis scripta sua tanquam pomparum ferculis exornant, (quod genus ostentationis prae reliquis tolerari potest, quando non omni caret utilitate, minimum non iucunditate,) sed id agunt, ut una re, uno facto, a reliquis, quibus cum cohaeret, secluso, nitentes, vel errori seruiant, vel malitiae et iniquitati. Alterutrum enim semper, saepeque una utrumque fieri, iam quidem demonstra-

M

ui-

uimus, sed nunc proferendis exemplis liquidius ostendemus, eo tamen consilio, ut non per omnia doctrinae genera, sed tantum in omni iurisprudentiae parte, quatenus malo reipublicae esse possit *historiae*, vel *eius nominis abusus*, planum fiet.

§. II.

Ordiamur a CIVILI IVRE. In hoc genere eos historia abuti censemus, qui vel patrii iuris, vel Romani auctoritatem priuato ausu dilatant, siue maiorem, quam est, fingunt. Quatenus enim vel patrium ius abiecere et deseruere maiores nostri, vel Romanum haud receperunt, eatenus vtriusque iuris usus non legalis, sed historicus modo est: et quatenus priuati homines historicum usum in legalem conuertere conantur, eatenus certo abutuntur historia, dum eam ad alios fines, quam quorum ergo est, referunt, hoc est, quae tantum memoriam antiquati patrii iuris, vel nunquam recepti peregrini qua talis, conseruare deberet historia, eandem in album Praetoris vertunt doctores et ministri legum, nefarie occupantes regnum, siue legislatoriam usurpantes potestatem, iura nona, antiquis velata nominibus, constituentes, iisque hominibus, nulla sua culpa, contraque Imperantium voluntatem, ius suum eripientes, ciues et republicas fluctibus litium et armorum demergentes.

§. III.

Huius abusus vel culpae reos, in primis facimus I. SCHILTERVM, CH. THOMASIVM, G. BEYERVM, et I. P. DE LVDEWIG, eorum hic nullam habent

bentes rationem, qui cum GVDELINO, BVGNONE, GROENEWEGIO, etc. Romanas leges omnino abrogatas putant: quorum error non plane idem est, atque illorum, qui multum studii ad persuadendum hominibus adhibuerunt, a) *Ius Romanum insulsum, iniquum, ex malis artibus natum, et Germanorum ingenio, moribus, et statui publico minime accommodatum, adeoque b). Ius Germanicum maximam partem retentum, ipsoque omnino salvo saltem Romanum esse receptum.*

§. IV.

Speciosa haec sunt, si modo vera essent. Nam a) insulsum et iniquum praedicantes ius Romanum, ad antiquum, et ab Imperatoribus dudum abrogatum ius formularium, et stipulationum veterem necessitatem, retorquent animum, nec considerant, quam satius fuisset, ius illud formularium correctum retinere, quam in locum aboliti litium aeternarum materiam substituere. Rectissime CVIACIVS: (a) *Religio, ait, iuris antiqui forsitan captiosa nimis et scrupulosa erat, sed meo iudicio tolerabilior, quam actionum confusio, agendi temeritas, et nullus ordo, omnibus actionibus conceptis in factum, nec conscriptis formula legeque certa.* Deinde si Romanum vel Iustinianum ius aequitati naturali

M 2

in

(a) *Paratitlis in Codicem Iustin. L. II. T. LVII. de formulis et impetrationibus actionum sublatis.* ANTON. PEREZ. *Praelect. in Codicem Iustin. d. T. Factum est, ut hodie sine arte litigetur, confuse, et multis adhibitis calumniis: cum veteres summo studio, prudentia, et arte, cas a iudiciis exclusissent.* Conf. GEORGII BEYERI Praefatio, BRUMMERI opusculis praemissa, qua tandem a veteri sua sententia destituisse videtur.

in nonnullis aduerfatur, non continuo aduerfatur aequitati ciuili, vel iuri ciuili vniuerfali, quale melius humana vix excogitare poterit ratio, quam Quirites finxerunt, fuisque legibus expreflere, vt nec GROTIUS, nec HUBERVS, nec alius quispiam, quicquid ciuitatibus generatim accommodati et apti iuris concinnare sunt conati, id omne magis ex Romanis legibus, quam ex fibi relictae rationis fonte, hauifile fe, diffiteatur. Pulchre IOAN. MERCERIVS, (b) eorum, ait, *non fatis arguta fententia eft, qui fruftra iure Romano nos vti volunt, cum noftro vti poffimus, quum magis Romanorum non fit, quam noftrom. Quandoquidem a ratione, cuius et nos participes fumus, fluxit, et ea fi careat, inter iniurias transfertur.* Et IAN. VINCENT, GRAVINA: (c) *nihil eft aliud ius ciuile, nifi naturalis ad Romanae Reipublicae institutionem relata, Romanisque moribus et literis explicata ratio.* (d) *Quod autem*

(b) *Opinionum et obferuationum Lib. I. cap. II. in EVERHARDI OTTONIS Thefauo Iuris Rom. T. II. p. 1549.*

(c) *De ortu et progreflu iuris ciuilis Lib. I. initio.*

(d) HUGO GROTIUS Epift. ad Gallos 156. *Nihil eft nobili homine dignius, quam cognitio iuris, primum quidem eius, quod omnes homines hominibus, et gentes gentibus faciat, deinde vero patrii, cuius partem non exiguam facit ius Romanum, a plerisque populis adoptatum, per fe quoque fupra omnia ciuitatum iura digniffimum nofci, vt quod perfectum excultumque fit experimentis tam magni, tamque diuturni imperii. Quicquid a Decemvirorum tempore ad Iuftiniani vique tempora viri, maximo iudicio et fanctitate morum et eruditione praediti, ad firmandam illam ciuilem societatem reperire potuerunt, id omne in digeftis, deinde in codice, et connexis ei libris continetur. Tam euidentis denique eft eius iuris in plerisque partibus, iis maxime, quae ad contractus, aut damnum iniuria*

autem de malis artibus Iustinianeum ius magna ex parte profectum esse existimant, id, quatenus ad antiquas leges nonnullas, et Praetorum edicta pertinet, per constitutiones Principum, quin iam ante, satis emendatum est: quas vero Triboniano acceptas ferunt leges iniquas, eae minimam iuris Iustiniani partem attingunt, ipsasque rerum humanarum conditio excusat, quae nihil omni ex parte profectum esse finit. Ad hoc frustra sunt,

M 3

qui

ria datum pertinent, aequitas, ut ad quos populos Romana arma peringere nunquam potuerunt, ut in Polonia, vicinasque gentes, eo leges Romanae, sine vi ulla, iustitiae suae vi triumphantes pervenerint. Quibus iustissimis politicorum sententiis merito hominis theologi elogium adiungimus. LUTHERVS TOM. VI. scriptorum suorum Ienae editorum, p. 155. b. Das weltliche Regiment soll die Leute regieren, und schaffen, daß Leib, Gut, Ehre, Weib, Kind, Haus, Hof, und allerley Güter in Friede und Sicherheit bleiben. = = = Zwar so hat Gott das weltliche Regiment der Vernunft unterworfen und befohlen. = = = Darum können hiervon die Heyden, wie sie denn auch gethan, wohl sagen und lehren, und die Wahrheit zu sagen; sind sie in solchen Sachen weit über die Christen geschickt. = = = Das Kayserliche Recht, nach welchem das Römische Reich noch heutiges Tages geregiret, und bis an den jüngsten Tag bleiben wird, ist ia nichts anders, denn heidnische Weisheit, welches die Römer, ehe denn Roma von Christen, oder von Gott selbst ichts gehéret hat, gesetzt und geordnet haben. Und ich achte wohl, wenn jetzt alle Juristen in einen Kuchen gebacken, und alle Weisen in einen Trank gebrauen würden, sie solten nicht allein die Sachen und Handel ungefaßt lassen, sondern auch nicht so wohl davon reden noch denken können. Dann solche Leute haben sich in grossen Handeln müssen üben, und gar mancherley Menschen Sinn lernen können, sind dazu mit hoher Vernunft und Verstand begabt gewest. Summa sie haben gelebt, und werden nicht mehr leben, die solche Weisheit in weltlichen Regiment gehabt haben. Dargegen siehet man wohl, welches kindisch, aber schlecht Ding das geistlich Recht ist, ob wohl viel heiliger trefflicher Leute darinnen gewest sind, daß auch die Juristen selber sagen: purus Canonista est magnus Asinista.

qui a Germanorum indole et moribus alienum esse Ius Romanum arbitrantur, nisi feras et barbaras maiorum nostrorum consuetudines intelligimus, quas cum Romanis institutis commutasse, suosque ad Romanas leges mature composuisse mores, si non omnes Germanos, certe Francos, auctor est AGATHIAS SCHOLASTICVS, rerum a IVSTINIANO gestarum testis egregius.

§. V.

Et quidni mutassent mores antiquos, immanes nimirum, inimicitias a totis familiis susceptas, consuetudinem controuersias non iure, sed ferro decidendi, atque homicidia non morte, sed multa expiandi, pigritiam, latrocinia, et multa alia, quibus retentis nulla salus, nulla respublica esse potest. Profecto haud praeclare nobiscum ageretur, si omnes in sententiam certi VIRI ILLUSTRIS irent, *iure belli priuati Germanos contra fas spoliasse IMPERATOREM MAXIMILIANVM I.* eiusque repetendi auctores essent. Hoc communi felicitati tam inimicum ius cum ipsae Germanorum antiquae leges redoleant, (e) b) mirandum non est, eadem,

(e) V. Leges Longobard. I. 7. 15. I. 37. 1. sequ. Frif. II. 2. Sal. LXIII. 2. seq. Angl. VI. 5. Alem. I. 3. LXXXIV. 1. Baiuar. XVI. 1. Ripuar. XXXII. 4. Longob. XXXII. 3. Frif. XI. 3. XIV. 4. Burg. LXXX. 1. Ripuar. VII. et XXXVI. 1. Aleman. XLIX. 1. sequ. Longob. I. 9. 3. 6. Sal. XXVI. 1. Angl. I. 1. Frif. I. 1. Baiuar. XIII. 1. Et si vero in iisdem legibus, capitularibus Regum Francorum, et aliis iuris Germ. antiqui reliquiis, quas summo studio collegerunt et ediderunt BALVZIVS, HEROLDVS, LINDENBROG, ECCARDVS, et alii, nec non *Speculis Saxonicis et Alemannico*, multa exstant veterum consuetudinum, cum bonarum, tum malarum, quarum IVLIVS CAESAR, TA-

dem, et maximam iuris patrii partem abieciſſe Germanos, contra Romanas humaniores leges, paucis exceptis, accepiſſe: (f) id quod factum eſſe, uſus fori, reſque tot iudicatae euincunt, atque negantes ſic reprimunt, ut pluribus argumentis haud opus, quin manifeſtus ſit hiftoriae abuſus, ſi quis priuatus veteres Germanorum leges in uſum reuocare conatur.

§. VI.

At non minor eſt abuſus, ſi quis Romanis legibus, quibus vel vetus reſpublica Romana regebatur, vel quas Imperatores iam correxere, vel quibus, tanquam proſus alienis ab inſtitutis noſtris, aditus ad forum noſtrum haud patuit, renitente ſtatu publico, et reclamante vel recentiore Iuſtiniano, vel domeſtico iure, vim et auctoritatem apud nos tribuere audeat. Cuius rei culpam ſuſtinent, qui iura recentiora ab antiquis non probe ſecernunt, et exempli cauſa hodie tutoris conſenſum antiquae tutorum

CITVS, et caeteri veteres ſcriptores, mentionem fecere, veſtigia, quorum e numero ſunt e. c. ſumma pactorum nudorum auctoritas, longa pueritia, dos vxori a marito oblata, res expeditoriae et gerada, hoſpitalitas legibus praecepta, numerus non dierum, ſed noctium, ius congrui, etc. tamen eadem teſtantur, mature leges Germanorum ex conſuetudine cum Romanis aliquid peregrini, imo tantum attraxiſſe, ut CUIACIUS ad 2. Feud. II. *in lege Wiſigothica omnia ſere eſſe petita ex iure ciuili*, exiſtimauerit: quod, ſi non in omnem, tamen in maximam valet partem, et vel ex conſeſſo Wiſigothis a Rege Alarico iunioro Romanarum legum uſu, et BREVIARIO ANIANI, liquido apparet.

- (f) Non pugnat cum dictis, quod hodie maxima legum pars in territorii vel prouinciis deſcripta, conſtitutionum, vel ſtatutorum nomine exſtat. Nam ſtatuta et conſtitutiones ex Romanis legibus maximam partem natas eſſe, ipſa docent exempla.

rum auctoritatis, et actuum legitimorum vi et ratione metiuntur: vel patriam aut dominicam potestatem ex Iure Quiritario, eiusdemque consecutionibus aestimant, id quod perperam in causis nonnunquam factum esse, memini. Eandem praeterea sustinent culpam, qui magistratus nostros cum Romanis componunt: Sustinent, qui iudicia nostra cum Romanis, modumque procedendi cum eo, quo Quirites utebantur, conferunt: Sustinent forte etiam, qui nostris militibus iura militum Romanorum aptant: et plures alii, quorum hic rationem habere, verat institutum nostrum, ad exponendos historiae abusus in reliquis iurisprudentiae partibus nos impellens.



CAP. II.

DE

HISTORIAE ABVSV IN
IVRE CRIMINALI.

§. VII.

Quod *ciuilis iuris* pars est, **IVS CRIMINALE**, in Imperio R. Germanico ab Imperatore Carolo V. de consilio principum et reliquorum statuum, in comitiis Wormatiae, Anno MDXXI. Spirae, A. MDXXX. August. Vindel. A. MDXXX. et Ratisbonae A. MDXXXII. habitis, ea mente constitutum

tum est, vt ex praescripto illius constitutionis, (cum qua leges territoriorum particulares hodie fere congruunt,) publico bono, delicta seuerè vindicarentur. Verum nec hoc legum genus, magnum salutis publicae munimentum, insidiis vacuum esse fuit hominum proteruitas et historiae abusus. Non enim historiae ope et opera illarum legum sensum exquirunt, in quo verus et proximus historiae usus in iurisprudencia consistit: sed legum auctoritatem inuadere conati sunt, easque iniquitatis nomine suspectas atque inuisas reddendo, de vi et potestate earum tantum detraxere, vt publicae disciplinae et tranquillitati tuendae hodie fere impares sint, maxime ex quo rabularum artes et studia nutriunt et adiuuant noui iuris architecti quidam magni nominis. Non multus ero in exponendis conatibus THOMASII, quorum nobile exemplum sistunt eiusdem Ernsthafte aber doch muntere und vernünftige Gedanken und Erinnerungen über allerhand auserlesene Juristische Handel, I. Handel, (g) nec in commentando et meditando in horrible LVDEWIGII effatum: Es wäre zu wünschen, daß die Peinliche Hals-Richts Ordnung Kayser Carls des fünften das Licht niemahlen gesehen hätte, weil die Articul in dieselbe blos aus denen Anspachischen und Bambergischen peinlichen Sagen, nicht so wohl mit Dinten, als Blut und Tod ausgeschrieben, und von demselben gar nicht der Gebühr nach überleget worden. (h)

N

§. VIII.

(g) Non de ipsa specie vel casu, vti dicunt, accipienda est nostra sententia, sed de audaci censura Articuli CXXXI. constit. Crim. Caroli V. cuius vim fere fregit THOMASII auctoritas.

(h) V. die rechtliche Erläuterung der Reichs-Historie p. 384.

§. VIII.

Magis nostro accommodatum proposito exemplum nobis suppeditat ILLUSTRIS BOEHMERVS, qui totus in eo est, vt THOMASII (i) sententiam: *quod homicidis gratiam delicti facere possint Imperantes, vel vt dicunt, quod dispensabilis sit poena homicidii dolosi, tueri et ornare cupiens, eandem more et consuetudine primorum Christianorum confirmet. Nam poenam mortis, ait, (k) remitti a magistratu seculari posse, Christiani primaevi, et horum exemplo patres crediderunt, adeo, vt pro iis intercedere clerici debuerint, et praecauere, ne sanguis effunderetur, c. l. C. 23. qu. 5. Ex quo patet, sententiam, quod poena homicidii sit indispensable, non esse ex doctrina primae ecclesiae aut patrum natam, sed forsitan propriam ecclesiis protestantibus sententiam. Enunciatum hoc, nisi me fallit animus, satis probat, quod in Prooemio Dissertationis dixi: certissimas saepe veritates diuinas ruentium antiquitatum onere labefactari et opprimi. Quam ob rem non perfunctoriam, sed magnam operam in hanc quaestionem conferre decreuimus, vt quid detrimenti ex hoc abusuum genere capiat respublica, tanto magis liqueat.*

§. IX.

Principio hoc monemus: etsi aliqualis lis est inter ILLUSTRIS VIROS, THOMASIVM et BOEHMERVM, ta-

(i) Cf. THOMASII Diss. de Iure principis Euangelici aggratiandi homicidas.

(k) In notis ad CORVINI Ius Canonicum, Lib. IV. T. XIII. §. IX. nota (q). Conferatur eiusdem Ius Eccles. Protest. T. V. Lib. V. T. XII. §. I-XIX.

tamen vna mente consentiunt, *poenam capitalem lege Mosaica homicidis dictatam, iuris diuini vniuersalis haud esse, adeoque principis dispensationi esse locum.* Hoc saltem interest inter vtriusque sententiam, quod BOEHMERVS THOMASII dogma ecclesiae cum nascentis, tum adultae, auctoritate tueri aggressus sit, de quo praesidio THOMASIVS desperauerat.

§. X.

Sic enim BOEHMERVS in *Iure ecclesiastico, l. c.* existimat. „ Equidem B. THOMASIVS de iure prin-
 „ cipis euangelici aggratiandi homicidas c. III. §. 3.
 „ magna cum fiducia asserit, sententiam hanc, qua
 „ haec poena mutari nescia iudicatur, deberi clero Pon-
 „ tificio, quod non alio accipiendum est sensu, quam
 „ eam a patribus inculcatam, per pontifices propaga-
 „ tam, et sic tandem per ipsum ius pontificium robo-
 „ ratam fuisse. Sicut vero ipsemet determinare et in-
 „ dicare non potuit, quo seculo haec sententia in sce-
 „ nam producta, et a quibus patribus defensa fuerit;
 „ ita in diuersa plane abire cogor, ponderando conclu-
 „ siones, quae ex sententia contraria in iure canonico et
 „ patrum dictis supersunt, aperte, ni fallor, euincen-
 „ tes, patres ecclesiae a primordio existimasse, poenam
 „ capitalem, homicidis iure Mosaico statutam, non ef-
 „ se iuris aeterni, sed reipublicae Iudaicae propriam.
 „ Id vero propugnabo ex sequentibus argumentis, qui-
 „ bus demonstratum ibo: I) Christianos primaeuoes ab
 „ omni iudicio sanguinis in quibuscumque delictis ab-
 „ horruisse: II) Licet sub Christianis Imperatoribus,
 „ poenas capitales non prorsus reprobauerint, sui ta-

„ men officii esse arbitratos episcopos, pro damnatis
 „ ad mortem, etiam caede illicita infectis, intercede-
 „ re, et poenam sanguinis deprecari: III) Ea de causa
 „ quoque homicidis ecclesias patuisse, in quibus pa-
 „ tres illis sacrum quoddam refugium praebebant: IV)
 „ inhabiles iudicatos fuisse, qui ad clericatum adsume-
 „ rentur, qui iudicio sanguinis etiam in causa homici-
 „ dii interfuerant: V) Leges, pecuniarias poenas ho-
 „ micidis statuentes, per decreta patrum in conciliis non
 „ reprobatas, sed approbatas fuisse: VI) Clericos ho-
 „ micidas poenis capitalibus non subiectos, nec credi-
 „ tum fuisse, eos necessario degradandos, quo poe-
 „ nis iure diuino constitutis subderentur. Hae omnes
 „ propositiones ex vno eodemque propullularunt fon-
 „ te, poenis capitalibus, quantum fieri posset, absti-
 „ nendum esse, non quod eas iure non meruerint,
 „ sed quod noui foederis genius ad mansuetudinem in-
 „ inclinatiores esse debeat, nec lex antiqui iuris de poe-
 „ na capitali huc etiam porrigi debeat. Primum ergo
 „ Christianorum primitiuae ecclesiae dogma de fuga poe-
 „ nae sanguinis, primum hoc habuisse videtur fun-
 „ damentum, quod, vt dixi, genius noui foederis ad
 „ mansuetudinem magis, quam ad delinquentes per-
 „ dendos sit procliuior, quod in primis AVGVSTI-
 „ NVS epist. 113. (al. 54.) tom. II. oper. edit. Pa-
 „ ris. pag. 524. explicat atque declarat. Obiectum
 „ ipsi erat, quemadmodum nos possumus ex re-
 „ ligione contendere, vt QVALECVMQVE illud
 „ CRIMEN fuerit, dimittatur. Non excludebant er-
 „ go vllum crimen, ne quidem homicidii, ab hac do-
 „ ctrina: tantum in eo sollicitus erat, vt vitam homi-

„ ci-

„ cidae ab interitu et periculo mortis vindicarent, at-
 „ que emendarent. Hac de caussa c. 16. ait: Nec ob
 „ aliud, quantum sapio, in veteri testamento anti-
 „ quorum temporibus prophetarum seuerior legis
 „ vindicta feruebat, nisi vt ostenderetur, recte inquis
 „ poenas constitutas: vt quod eis parcere noui testa-
 „ menti indulgentia commonemur, aut remedium sit
 „ salutis, quo peccatis parcatur et nostris, aut com-
 „ mendatio consuetudinis, vt per eos, qui parcent,
 „ veritas praedicata non tantum timeatur, verum et-
 „ iam diligatur. Idem Tom. V. ferm. 2. c. 2. pag. 6.
 „ eiusd. edit. discrimen idem denuo inculcat, et, nos
 „ dicimus, ait, eundem esse euangelii misericordissi-
 „ mi largitorem, qui extitit etiam legis terribilis lator.
 „ Lege enim terruit, euangelio conuersos sanauit,
 „ quos vt conuerterentur, lege terruerat. Non ta-
 „ men absolute poenas capitales improbabant, sed
 „ vt verba adducta docent, id tantum prae se fere-
 „ bant, eas, quantum fieri potest, inter Christianos
 „ remouendas et impediendas, non excipientes vnum
 „ casum, qui absolute poena sanguinis expiandus es-
 „ set, qualem hodie plerique, in caede humana,
 „ consulto facta, quaerere solent. Hoc sensu accipio
 „ TERTULLIANVM, alioquin a iudicio sanguinis a-
 „ lienum, de spectaculis: c. XIX. p. m. 81. Bonum est,
 „ cum puniuntur innocentes. Quis hoc nisi nocens ne-
 „ gabit? Et tamen innocens de supplicio alterius lae-
 „ tari non potest, cum magis competat innocenti do-
 „ lere, quod homo, par eius, tam nocens factus est,
 „ vt tam crudeliter impendatur. Quis autem mihi
 „ sponsor est, nocentes semper vel ad bestias, vel ad
 „ N 3 „ quod-

„ quodcumque supplicium decerni, vt non innocen-
 „ tia quoque inferatur, aut ultione iudicantis, aut
 „ infirmitate defendentis, aut instantia quaestionis?
 „ Quam melius ergo est, nescire cum mali puniuntur,
 „ ne sciam et cum boni pereunt, si tamen bonum sa-
 „ piunt. Recusabant ergo, praesentes esse suppliciis
 „ reorum, ne his ipsis animum pascere more genti-
 „ lium viderentur. Nam etiam praeterea ex hoc fun-
 „ damento, quod secundum erat, supplicia sanguinis
 „ horrebant, quod in executione eorum gentiles sum-
 „ mam exercere crudelitatem, aut voluptatem ex iis
 „ capere viderent, ceu spectaculorum vsus publicus
 „ in eis, qui ad bestias condemnati erant, ostendebat.
 „ Hanc ob rem Christianis auctor erat SEPTIMIVS,
 „ ne horrendis his spectaculis interessent, oculosque
 „ in crudeli reorum laniena pascerent. Si saeuitiam,
 „ ait, si impietatem, si feritatem permissam nobis
 „ contendere possimus, eamus in Amphitheatrum. Si
 „ tales sumus, quales dicimur, delectemur sanguine
 „ humano. Calumnias gentilium his verbis notat
 „ TERTVLIANVS de Thyesteis epulis, in quibus infan-
 „ tes comedere, et sanguinem humanum degustare
 „ dicebantur, a quo tam alieni erant, vt ne quidem
 „ supplicii nocentium interesse vellent, imo etiam a
 „ sanguine animalium abstinerent. Hoc duplici
 „ argumento vt plurimum retundebant gentilium
 „ mendacia, et obrectationes. ATHENAGORAS in
 „ legat. pro Christ, pag. 8. primo vsus est argumento:
 „ Quomodo enim quisquam vel homicidii, vel huma-
 „ narum carnum epulationis insimularet illos, quos
 „ ne iuste quidem occidendi hominis supplicium in-
 „ tue-

„ tueri velle aut posse cognouerit? Quis non specta-
 „ cula illa, in quibus gladiatores et belluas populo,
 „ praesertim vos imperatores, exhibetis, maximi
 „ facit? Nos vero non ita multum, siue spectator sit
 „ aliquis, siue auctor caedis, interesse iudicantes, ali-
 „ eno ab his spectaculis animo sumus. Quomodo igitur,
 „ qui ne ab aliis quidem fieri, ne quid inde sce-
 „ leris et piaculi in nos redundet, videre sustinemus,
 „ homicidium commitemus ipsi? Altero argumento
 „ vtitur MINVTIVS FELIX in Octau. c. 30. in f. p.
 „ m. 381. edit. Gronou. Nobis nec homicidium vi-
 „ dere fas est, nec audire: tantumque ab humano
 „ sanguine cauemus, vt nec edulium pecorum in cibis
 „ sanguinem nouerimus. Inprimis vero gladiatorum
 „ certaminibus adesse nefas credebant, ex quo fun-
 „ damento calumniam de Thyesteis epalis refellebat
 „ THEOPHILVS ad Autolyc. pag. 126. Praesertim,
 „ aiens, cum etiam monomachias spectare nobis in-
 „ terdictum sit, ne videlicet participes huiusmodi cae-
 „ dium reddamur. Planus LACTANTIUS lib. VI.
 „ c. 20. contra poenas sanguinis agit, et, quaero nunc,
 „ ait, an possint pii et iusti homines esse, qui consti-
 „ tutos sub coitu mortis, et misericordiam deprecant-
 „ tes, non tantum patiuntur occidi, sed efflagitant,
 „ feruntque ad mortem crudelia et inhumana suffra-
 „ gia? Damnat quoque accusationem de crimine ca-
 „ pitali: Neque vero accusari quenquam crimine ca-
 „ pitali (licebit,) quia nihil distat, vtrum ferro an
 „ verbo potius occisio prohibetur. Itaque in hoc Dei
 „ praecepto nullam prorsus exceptionem fieri oportet,
 „ quum occidere hominem sit semper nefas, quem
 „ DEVS

„ DEVS sanctum animal esse voluit. Denique etiam inter-
 „ esse poenarum capitalium executioni nefas esse duxit.
 „ Ergo, aiens, si homicidium facere nullo modo licet, nec
 „ interesse omnino conceditur, ne conscientiam perfun-
 „ dat vllus cruor; siquidem populo sanguinis ille
 „ praestatur. Denique TERTVLLIANVS in Apol.
 „ c. 37. publice Christianorum decus et gloriam in eo
 „ quaerit, quod apud disciplinam istam magis oc-
 „ cidi liceret, quam occidere. Ex hoc dogmate
 „ sequebatur alterum supra indigitatum, quod aliquot
 „ capitibus illustrat THOMASSINVS de nou. et vet.
 „ eccl. disc. P. II. lib. III. c. 95. seqq. Intercessio haec
 „ pro damnatis ad mortem, etiam ob caedem volun-
 „ tariam, iniquissima et ab officio sacerdotum aber-
 „ rans, imo contra ius diuinum fuisset, si hoc etiam
 „ Christianis in nouo foedere, ex illorum sententia,
 „ necessitatem imposuisset, homicidas secure ferire.
 „ Iustitia, hac lege aeterna. (si pro tali a patribus ha-
 „ bita,) magistratui demandata, non potuisset impedi-
 „ ri ab episcopis sine offensa diuini numinis, quin po-
 „ tius eorum partes fuissent, segniores magistratus
 „ ad vindictam publicam excitare, et legis diuinae ob-
 „ seruantiam seueram illimitatamque inculcare ad re-
 „ missionem poenae capitalis pronis. Enimvero id
 „ non agebant episcopi, alienis principiis imbuti: in-
 „ tercedebant pro damnatis ad vltimum supplicium:
 „ delicto veniam petebant, atque imperatores induce-
 „ re omnibus laborabant modis, vt gratiam in miseros
 „ effunderent, atque animaduersionem debitam remit-
 „ terent, condonarentque, id quod dispensationis vo-
 „ cabulo, stylo ecclesiastico, hodie indigitamus. Defen-
 „ dit

„ dit hunc episcoporum morem AVGVSTINVS in iam
 „ alleg. epist. 153. p. 524. pluribus argumentis, atque
 „ his, quae obiecta erant a MACEDONIO in epist.
 „ 152. (alias 53.) prolixius respondet. Praemittit ge-
 „ neraliter: Ideo quippè, quantum facultas datur,
 „ pro peccatis omnibus intercedimus; quia peccata
 „ omnia videntur venialia (venia digna.) cum is,
 „ qui reus, correctionem committit. Haec tua, haec
 „ et nostra sententia. Addit post pauca notanter:
 „ Ideo compellimur humani generis caritate interue-
 „ nire pro reis, ne istam vitam sic finiant per suppli-
 „ cium, vt ea finita non possint finire supplicium.
 „ Prouocat postmodum ad praeceptum saluatoris, quo
 „ nostros inimicos diligere, et eis, qui nos oderunt,
 „ benefacere iubemur. Num ergo etiam pro impiis
 „ orandum est? quaerit, respondendo, ita plane.
 „ Qui enim hoc praecipit, DEVS est: nec tamen nos
 „ hos pacto societati adiungit impiorum, quibus et
 „ ipse parcendo, et vitam salutemque largiendo non
 „ utique sociatur. Hoc modo MACEDONIO satisfacit,
 „ qui haec obiecerat: certum est, nos culpae
 „ societate vinciri, quoties cum impunitum esse vo-
 „ lumus, qui culpae est obnoxius; simul vero addit,
 „ delinquentes poenitentiis ecclesiasticis subiici, vt
 „ poenitendo placare possint, quem peccando contem-
 „ serant, seque ipsos puniendo. Facile vero praeui-
 „ debat, sibi obiectum iri, diuersum iudicis officium,
 „ ab hominis priuati, et maxime Christiani, officio
 „ esse, quo tamen nihil effici opinabatur. Licet, ait
 „ c. 8. accusatoris alia persona sit, alia defensoris, alia
 „ intercessoris, alia iudicis; sic tamen etiam ipsos

O

„ cri-

„ criminum ultores, atque in hoc officio non ita pro-
 „ pria concitatos, sed legum ministros, nec suarum
 „ sed alienarum examinatorum iniuriarum vindices,
 „ quales iudices esse debent, terruit censura diuina,
 „ vt cogitarent, sibi propter sua peccata DEI miseri-
 „ cordiam necessariam, nec putarent ad culpam sui
 „ officii pertinere, si quid erga eos misericorditer a-
 „ gerent, quorum vitae necisque haberent legitimam
 „ potestatem. Hoc declarat c. 9. exemplo adulterae
 „ ad Christum deductae ideo, vt de illa decerneret,
 „ ex cuius dato responso lo. VIII. 7. ita infert: ita nec
 „ legem improbauit, quae huiusmodi reas iussit oc-
 „ cidi, et illos terrendo ad misericordiam reuocauit,
 „ quorum iudicio haec possit occidi. Addit c. 12. Postremo
 „ ipse dominus apud homines intercedit, ne lapidare-
 „ tur adultera, et eo modo nobis intercessionis man-
 „ dauit officium, nisi quia ipse terrendo fecit, quod
 „ nos petendo. - - - Cedat huic sententiae pietas
 „ Christianorum, cui cessit impietas Iudaeorum. Ce-
 „ dat humilitas obsequentium, cui cessit superbia per-
 „ sequentium. Cedat confessio fidelis, cui cessit simu-
 „ latio tentatoris. Malis parce vir bone: quanto me-
 „ lior, tanto esto mitior: quanto sis celsior potestate,
 „ tanto humilior fieri pietate. Inde c. 15. in f. conclu-
 „ dit tandem: iam vides igitur de religione descende-
 „ re, nec nos societate criminum obstringi, quod in-
 „ tercedamus etiam plerumque pro sceleratis. Hoc
 „ quod in genere et in thesi AVGVSTINVS cit. l. pro-
 „ pugnauerat, in epist. 133. p. 369. tom. II. edit. Paris.
 „ (al. 159.) adplicat speciatim ad homicidas. Prae-
 „ mittit, se comperisse, plurimos Donatistarum de ho-
 „ mi-

„ micidio, quod in Restitutum catholicum presbyte-
 „ rum commiserant, et de caede Innocentii alterius
 „ catholici presbyteri, atque de oculo eius effosso, et
 „ de digito praeciso fuisse confessos. Nihilominus ta-
 „ men admodum dissuadet, ne legum seueritate eos ple-
 „ ctat. Imple, ait, c. 2. cit. epist. Christiane iudex
 „ pii patris officium; sic succense iniquitati, vt con-
 „ sulere humanitati memineris: nec in peccatorum a-
 „ trocitatibus exerceas vlciscendi libidinem, sed pec-
 „ catorum vulneribus curandi adhibeas voluntatem.
 „ Precibus primum agit: arctius his addit vinculum
 „ ex ipso munere episcopali, aitque: audire te episco-
 „ pum conuenit iubentem. Huic epistolae aliam ad-
 „ iungit ad APRINGIVM proconsulem in eadem caus-
 „ sa, idemque argumentum ep. 134. p. 397. seq. perse-
 „ quitur, annectendo in f. se prouocaturum esse a seue-
 „ ra eius sententia, nisi de eius Christiana obedientia
 „ praesumeret. Tanta sollicitudine pro homicidis sibi
 „ orandum esse duxit, vt etiam per appellationis bene-
 „ ficium effusionem sanguinis eorum auertere studue-
 „ rit. Pariter quoque in ep. 139. (al. 158.) ad MAR-
 „ CELLINVM idem serio vrget, et c. 2. scribit: Poe-
 „ na sane illorum, quamuis de tantis sceleribus confes-
 „ sorum, rogo te, vt praeter supplicium mortis sit,
 „ et propter conscientiam nostram et propter catholi-
 „ cam mansuetudinem commendandam. Denique si
 „ intercessioni suae nullum locum sit relicturus pro-
 „ consul, petit, vt ad minimum hoc sibi praestet, vt
 „ in custodiam recipiantur, atque, pergat, hoc de cle-
 „ mentia imperatorum impetrare curabimus, ne pas-
 „ sionis seruorum Dei, qui iniquissime trucidati erant,

„ quae debent esse in ecclesia gloriosae, inimicorum
 „ sanguine dehonestentur. Addit exemplum clemen-
 „ tiae imperatoriae: Scio enim in causa clericorum
 „ Araunensium, qui occisi a gentilibus nunc martyres
 „ honorantur, imperatorem rogatum facile concessis-
 „ se, ne illi, qui eos occiderant, et capti iam teneban-
 „ tur, poena simili punirentur. Remittendo ergo
 „ poenam capitalem ad instantiam episcoporum credi-
 „ derunt imperatores, sibi arbitrium in causa homi-
 „ cidii circa poenas competere. Idem argumentum in
 „ epist. 100. (al. 127.) p. 269. sq. tractat, atque apud D O-
 „ NATVM Africae proconsulem intercedit, ne ad
 „ poenam mortis contra Donatistas procedat, quamvis
 „ atrociam perpetraverint in orthodoxos, quos prout di-
 „ ctum, variis modis nefarius affligebant, ut nec a
 „ caedibus abstinere. Graviter tamen deprecatus
 „ est, ne supplicio capitali afficeret scelestos, tali poe-
 „ na licet dignos; etenim si occidendos, scribit, in his
 „ sceleribus homines putaveritis, deterrebitis nos, ne
 „ per operam nostram ad vestrum iudicium aliquid ta-
 „ le perveniat, quo comperto, illi in nostram perni-
 „ ciam licentiore audacia grassabuntur, necessitate no-
 „ bis impacta et indicta, ut etiam occidi ab eis eliga-
 „ mus, quam eos occidendos vestris iudicis ingeramus.
 „ Id ergo agebat AVGVSTINVS, ut nequidem ex odio
 „ sectae orthodoxos interimentes poenis capitalibus
 „ afficiendos esse censeret, sed quovis modo eorum
 „ conseruationi studeret. Hac disciplina constante per
 „ omnia secula imbuta fuit ecclesia, ut GRATIANVS
 „ adhuc suo tempore haec loca AVGVSTINI, ius ec-
 „ cle-

„ clasticum antiquissimum praeferentia, repetierit
 „ inc. 1. seqq. C. 23. q. 5.

§. XI.

Nonnullis interiectis, quorum rationem hic merito
 „ nullam habemus, pergit BOEHMERVS §. IX. „ Pa-
 „ ria cum Monachis erant sacerdotum studia, nec mo-
 „ nachi tantum, pergit CHRYSOSTOMVS cit. l. p. 135.
 „ verum et sacerdotes eandem praestiterunt animi ma-
 „ gnitudinem, nostramque dispensauere salutem. Et
 „ alius quidem in castra se contulit, omnia dilectioni
 „ vestrae postponens, et paratus, nisi regi persuade-
 „ ret, mori. Haec intercessio desperatione non carebat,
 „ quam quilibet sacerdotum morte sua extorquere cona-
 „ batur. Pergit vero: alii vero hic remanentes, et eadem
 „ cum monachis exhibentes, propriis manibus iudices
 „ continentes, non permittentes abire, priusquam de
 „ iudicii sine promitterent: et cum renuentes quidem
 „ videbant, multa fiducia et ipsi vicissim utebantur.
 „ Episcopi ad Imperatorem profectionem, eiusdem la-
 „ crymas, planctus, et cum his coniunctam intercessio-
 „ nem IDEM oratorum more repraesentat homil.
 „ XX. ad popul. Antioch. pag. 154. sq. in quo plus af-
 „ fectui, quam veritati dedit. Interim circumstantias
 „ plures adduxit a THEODORETO praeteritas, qui
 „ tantum monachi MACEDONII preces importunas
 „ singulari encomio euehit, et singularem viri fidu-
 „ ciam in imperatorem miratur. Nihilominus tamen
 „ contra haec temeraria monachorum et clericorum
 „ attentata, quae anno 388. Antiochiae perpetrata, lex
 „ adducta anno 398. condita, certo argumento, magis

„ per vim et intestinos motus, a Monachis, quorum
 „ auctoritas in plebe eximia erat, quam per preces
 „ actum fuisse. Id etiam designant verba legis haec:
 „ Aut si tanta clericorum ac monachorum audacia est,
 „ vt bellum potius quam iudicium futurum existime-
 „ tur, ad clementiam nostram commissa referantur,
 „ vt nostro mox seuerior ultio procedat arbitrio.
 „ Constat praeterea II) ex hac lege, hos impetus cle-
 „ ricales et monasticos, quibus reorum supplicia im-
 „ pediebantur, susceptos fuisse ex ea sententia, quod
 „ fas non crederent, sanguinem humanum ob quale-
 „ cumque crimen fundere. Id videntur designare
 „ verba MACEDONII monachi a THEODORETO
 „ adducta, quae imperatori nuncianda esse voluit:
 „ Homo cum sis, eiusdem naturae consortibus impe-
 „ ras, porro hominum natura ad imaginem ac simi-
 „ litudinem DEI condita est. Ne igitur imaginem
 „ Dei adeo crudeliter atque atrociter iugulari praecipias.
 „ Offendes enim artificem, si eius imaginem supplicio
 „ affeceris, ultimo scilicet. Praeterea III) id vnice mo-
 „ nachi resistendo executioni agebant, vt interim dila-
 „ tionem impetrarent, facultatemque adeundi impera-
 „ torem, et pro addictis supplicio legationem suscipien-
 „ di, quod in causa adducta factum erat. Hoc vero
 „ IV) prohibet lex adducta, tantumque indulget mo-
 „ nachis et clericis interponendae prouocationis co-
 „ piam, vt causa sanguinis apud potestates seu magi-
 „ stratus maiores denuo sub examen reuocetur, non
 „ ad imperatorem referatur. Hoc ipso vsitatum mo-
 „ rem, per intercessionem impediendi capitalia suppli-
 „ cia, tollere vel ad minimum minuere intenderunt
 „ im-

„ imperatores, quas tamen non intermiserunt clerici.
 „ Ex hoc more legationem suscipiendi pro homicidis,
 „ ne sanguinem eorum funderent, secuta est protectio
 „ episcoporum, iis indulta, qui refugium suum in
 „ templis quaesiverunt, quod momentum tertium iux-
 „ ta §. I. est. Iam tom. III. p. 1032. §. XIX. sqq. obser-
 „ uavi, hanc protectionem ecclesiasticam ortum debe-
 „ re tum intercessionibus episcopalibus, tum doctri-
 „ nae patrum, qua constituerunt, in republica Chri-
 „ stiana nec sanguinem homicidarum fundendum esse,
 „ nec poenam iuris Mosaiici esse iuris aeterni. IVSTI-
 „ NIANVS quidem in Nou. 17. c. 7. pr. ius asyli homi-
 „ cidis negavit, sed episcopi haud destiterunt interce-
 „ dere pro eis, ne magistratui seculari traditis poena
 „ capitalis inflingeretur. Hoc temperamentum approba-
 „ uit THEODORICVS rex Gothorum apud CASSIO-
 „ DORVM Lib. III. ep. 47. de Iouino curiali homicida
 „ ita rescribens: Sed conscius facti sui inter ecclesiae
 „ septa refugiens, declinare se credidit praescriptam
 „ legibus ultionem, vulcanicae insulae perpetua rele-
 „ gatione damnatus, vt et sancto templo reuerentiam ha-
 „ buisse videamur, nec vindictam criminis euadat in
 „ totum, qui innocenti non credidit esse parcendum. Pa-
 „ riter homicidis, ad altare confugientibus, iuxta doctri-
 „ nam ecclesiasticam, parcendum esse cauerunt leges Wi-
 „ sigothorum Lib. VI. tit. 5. cap. 16. pag. 146. ex edit.
 „ PETRI PITHOEL Sed etiam si contigerit, eum
 „ (homicidam) ad altare sanctum fortasse confugere,
 „ non quidem praesumat eum absque consultu sacer-
 „ dotis persequutor eius abstrahere. Consulto tamen
 „ sacerdote, ac reddito sacramento, ne eundem scele-
 „ ra-

„ raturum publicae mortis poena condemnet, sacerdos.
 „ eum sua intentione ab altari repellat, et extra cho-
 „ rum proiciat: et sic ille, qui eum persequitur,
 „ comprehendat. Cui ab ecclesia eieeto non alias mor-
 „ tiferas inferat poenas, sed in potestate parentum et
 „ eorum, cuius propinquus occisus fuerit, contrahen-
 „ dus est: vt excepto mortis periculo quidquid de eo
 „ facere voluerint, licentiam habeant. Quae alias
 „ fuerint fata huius protectionis vsque ad GREGO-
 „ RII XIV. tempora, et quae huic pontifici sententia
 „ steterit circa homicidas ad templa confugientes,
 „ Tom. III. c. I. prolixius demonstratum est, vnde id
 „ constat, nec homicidis dolosis denegatam fuisse pro-
 „ tectionem, si exceperis reos qualificati homicidii.
 „ Vnde pronò alueo fluit, tale quid in ecclesiis recipi
 „ non potuisse, nisi omnibus haec sententia infedisset,
 „ poenam capitalem homicidis non necessario infligen-
 „ dam esse. Denique §. XIX. Quod ergo pedetentim
 „ poena capitalis homicidis imponi coeperit, ferocia
 „ homicidarum ingrauescente, quam domare, reducta
 „ pace publica, reipublicae magnopere intererat, id
 „ ex mera ratione ciuili, non ea intentione factum esse
 „ reor, vt vniuersali legi diuinae satisfaceret, atque
 „ haec post tot saecula, quibus in poena sanguinis de-
 „ cernenda latuit, in vsum reduceretur. Etenim qui
 „ rationes hoc modo subducunt, reuera primaeuos
 „ Christianos incusant, quod horum doctrina eam
 „ suppresserit, et applicationem eius prorsus impedi-
 „ rit, id quod nullo ferendum esset modo. „

§. XII.

§. XII.

Nunc ante quam in veritatem factorum illorum, quibus suam suffulcit opinionem ILLUSTRIS BOEHMERVS, inquiram, eorumque abusum commonstrem, expediendum esse puto, diuinam, et ad omnes homines attinentem esse veritatem, vel legem: *qui effundit sanguinem hominis, per hominem sanguis illius effunditor.* Hanc vt rite interpretari possimus veritatem, atque omnibus datam legem, et tempus, quo promulgata est, et veram eius sententiam, et palmariam rationem exquirere, et repetitiones huius legis, atque coherentes cum ea veritates conferre oportet. Aeternam esse legem postea docebimus. Prima et certissima (l) diuinitus promulgatae illius vestigia cernimus Geneseos IX. Cum benedixisset Deus Noacho et filiis eius, inter alia dixit, commate 5. et 6. *Sanguinem vestrum, animarum vestrarum, reposcam, ab omni bestia reposcam illum: adeoque de manu ipsius hominis, de manu cuiusque fratris ipsius reposcam animam hominis. Qui effundit sanguinem hominis, per hominem sanguis illius effunditor: quoniam ad imaginem suam hominem fecit Deus.* Vel CLERICO (m) interprete: *Certo etiam de sanguine animarum vestrarum quaestionem exercebo, e manu cuiusque ferae illum reposcam: hominis animam e manu hominis, e manu cuiusuis fratris eius repetam. Effundentis humanum sanguinem, inter homines sanguis eius*

P

eius

(l) Iam parricidium, quo CAINVS se inquinauerat, non sic abire passum esse supremum Numen, ex Genes. IV. 10. patet.

(m) Huius auctoris cum maxima apud THOMASIVM, et qui eum sequuntur, auctoritas fuerit, illius interpretationem nostram haud impedire demonstrationem, ostendisse, hic referebat.

eius effundetur, quia Deus hominem ad imaginem suam fecit. Repetit Deus hanc legem, cum Rempublicam Israëliticam constitueret, Exod. XXI. 12. Qui percutit quemquam ita ut moriatur, omnino morte plectitor. Si quis tamen non quaesuerit, sed Deus ipse obiecerit manui eius, constituam tibi locum, quo ille confugiat. Conf. Leuit. XXIV. 17. Num. XXXV. 16. et 30. seq. vbi secundum CLERICVM dicitur: Quicumque percusserit aliquem, is homicida ex testium verbis interficietur. Redemptionis pretium pro vita homicidae non accipietis, qui reus sit mortis, sed morte adficietur. Nec accipietis etiam redemptionis pretium, ut confugiat in urbem asyli, aut ut reuertatur habitatum in terram, antequam mortuus fuerit sacerdos. Non polluetis terram in qua eritis, sanguis enim ille terram polluit, neque potest expiari terra ob sanguinem in eam effusum, nisi eius qui eum effuderit sanguine. Etiam in nouum foedus hanc legem migrasse, Christus Matth. XXVI. 52. satis indicauit, Πάντες, inquit, οἱ λαβόντες μάχαιραν, ἐν μάχαιρα ἀπολένται. Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt. Apocalyps. XIII. 10. εἰ τις ἐν μάχαιρα ἀποκτενεῖ, δεῖ αὐτὸν ἐν μάχαιρα ἀποκτανθῆναι, si quis gladio occiderit, oportet eum gladio occidi. Postremo his locis iungenda verba PAVLI ad Romanos XIII. 4. (ἡ ἐξουσία) ἐκ ἐκλήτην μάχαιραν φορεῖ. Θεὸς γὰρ διάκονός ἐστιν, ἐκδικῶς εἰς ἄσπλην τῷ τὸ κακὸν πράσσοντι. Nequaquam frustra accinctus est (magistratus) gladio: nam Dei minister est, vindex irae eis, qui faciunt malum.

§. XIII.

His planissimis effatis diuinis sequentes continetur veritates:

I. Sup;

- I. *Supplicium in dolosam hominis caedem iam ante conditam Iudaicam ciuitatem constituit Deus.*
- II. *Ipse Deus ulciscitur mortem iniuste alicui oblatam.*
- III. *Per homines sanguinem improbe effusum persequitur et reproficit Deus ab homicidis.*
- IV. *Hoc propterea fit, quod homo ad Dei imaginem factus est.*
- V. *Aere baud est luendum homicidium.*
- VI. *Pertinet ea lex ad nouum quoque foedus.*
- VII. *Magistratus est administer diuinae iustitiae, et vindex flagitiorum.*

§. XIV.

Quod si igitur iam ante conditam rempublicam Iudaicam dolosae caedi supplicium constituit Deus, idque per homines sumere decreuit, omni redemptionis licentia praecisa: si propter violatam diuinam imaginem, ad quam factus est homo, hoc ita fanciuit: si hoc decretum in nouo foedere renouauit, et magistratus administros iustitiae, et vindices irae suae constituit: manifestum est, decretum hoc ad omnes homines pertinere, nec magistratum homicidii dolosi gratiam facere posse.

§. XV.

Superfedeo consecutionem pluribus declarare, atque ex idea et officio administri vel executoris demonstrare, ex quo per se pronofluit alueo. Satius erit, quae in dubium venerunt, vel venire possunt, paucis firmare. α) Non legem sanxiffe Deum, sed
 P 2 quid

quid ipse facturus, vel per poenas naturales consecuturum sit, pronunciaſſe, ait THOMASIVS. Sed quis legem ideo negabit, quod legislator ſe ipſum vlturum eſſe flagitium, edixit? Eſt lex, eos omnino tenens, quibus executionem mandauit legislator. Non autem priuatis hominibus, ſed magiſtratibus mandaſſe Deum arbitramur, qualem etiam Noachum geſſiſſe in domo ſua, totum complexa humanum genus, cauſſa non eſt, cur cum GROTIIO dubitemus. β) CLERICVS vocem Hebraicam כהן *baadam* non *per homines*, ſed *inter homines* vertit, et vocem hanc vbicunq; legitur, aut *in homine*, aut *inter homines* ſignificare ſtatuit. (n) At non ſolum Rabbinos, aut ante, aut poſt ONKELOSVM, (o) et ante hoſce omnes IOSEPHVM ARCHAEOL *per homines*, hoc eſt *per teſtes*, *de ſententia iudicum*, *sanguis eius effundetur*, interpretatos eſſe vocem, ſed etiam, praepoſitionem כ *paſſim per* ſignificare, ipſe fatetur CLERICVS. Fac autem Deum *inter homines effundetur* dixiſſe. Quid tum? Num forte fortuna in tumultu, et per alios ſceleſtos id ſemper fieri debere, voluiſſe Deum, fingi poteſt? Hoc certe vel cogitare haud permittit diuina ſapientia, et conſilium vlciscendi violatam imaginem ſuam. Accedit, quod vltio illa per ſupplicium homicidae vltimo fini rerum publicarum, ſaluti et ſecuritati communi, ſic conuenit, vt haec nulla eſſe poſſit, ſi ſpes elabendi e manibus quaefitoris rerum capitalium reliqua eſt percufforibus improbis, a quibus vix dum humano generi cautum eſt ſupplicio, in caedes

(n) Commentario in Geſenſin Cap. IX. v. 6.

(o) Conferatur SELDENVS de iure Nat. et Gent. Lib. IV. Cap. I.

caedes diuina prouidentia et imperio constituto, etiam illud impios insontium interfectores certo manet. Vnde rationibus rite subductis sic existimandum est: etsi diuinae sapientiae et iustitiae, cum animantia bruta, tum homines irati et furiosi, in pace, in tumultu, et bello, etiam seruiunt: tamen hoc minime excludit ordinariam per iudicia et magistratus exercendam vindictam: quin cum Deus, ordinis auctor, magistratibus pro administris iustitiae suae utatur, hi non suo, sed alieno, nempe diuino iure, in homicidas animaduertere, magisque Dei, quam reipublicae causam agere, magis diuinae imaginis, quam suae maiestatis, laesionem vlcisci, nec illam ab hac umquam secludere debere, ubi in homicidas animaduertendum est, putandi sunt, hocque magis putandi sunt, quo minus saluti humanae satis prospectum et consultum esse potest, nisi omni veniae impetrandae spe praecisa. Quae rationes eos etiam reprimunt et confutant, qui prohibitum et exclusum redemptionis pretium inter leges populi Iudaici numerant, quae vero non magis Ibraëitarum propria iudicari potest, quam leges decalogi possunt: id quod rationes hactenus explicatae, vniuerso generi humano communes, nempe salus publica, et diuinae imaginis dignitas, satis indicant.

§. XVI.

Quae cum ita sint, nulla vnquam hominum tanta futura est auctoritas, vt hanc certissimam legem impune negare, irritam facere, antiquare, eique fraudem facere possit, si maxime patres ecclesiae, ad vnum omnes, in ea lege interpretanda errassent, vel ad eius vim

eneruandam conspirassent. Quod vero factum esse, neutiquam euicit Illustris BOEHMERVS. Nam nec ecclesiae adultae doctores omnes consentientes, nec quos laudauit sibi ipsos constantes, probatum ire poterit. Si operae pretium esset, myriades sententiarum, iis, quas VIR DOCTISSIMVS congeffit, contrariarum, in medium afferre possemus. Satis erit, ex CHRYSOSTOMI *Homil. XXVII. in Genesiu* allegasse verba: ἀντὶ τοῦ αἵματος ἀνθρώπου τὸ αὐτὸ ἐκχυθήσεται, *pro sanguine hominis eius sanguis effundetur.* Quod idem AMBROSIVS de *Arca Noë cap. XXVI.* HIERONYMVS *Comment. in Soph. cap. I.* repetierunt. Verum enim vero hi in illa tempora inciderunt, quum doctores nugas agere, et secum ipsi pugnare iam coepissent. Quis credet, HIERONYMVM in verba apud Matthaeum *XXVI. omnes qui acceperint gladium, GLADIO PERIBVNT,* sic commentatum esse: *Esi non frustra portat gladium, qui ultor dominicae irae positus est, (magistratus,) in eum qui malum operatur: attamen quicumque gladium sumserit, gladio peribit. Quo gladio? Illo nempe, qui igneus vertitur ante paradysum, et gladio spiritus, qui in Dei describitur armatura.* (p) Superfedemus ex AVGVSTINI de *libero arbitrio, Lib. I. cap. IV.* docere, quam minime constet ratio dictorum suorum de homicidio eiusque vindicta, et quam inepte modo aiat, modo neget. Ecclesiae adultae praefules et monachos in consilium facile aduocandos esse, vbi verum et rectum exquiri necesse sit, ipse BOEHMERVS alias constantissime negauit. Ergo nec eorum mores et sententiae nos in hac re morantur.

§. XVII.

(p) Vid. Operum HIERONYMI Tom. VIII. Lib. IV. in Matthaeum,

§. XVII.

Quod autem ad nascentis ecclesiae sententiam at-
tinet, eam contra diuinam de plectendis homicidis san-
ctam legem verbis stetit, nec ipse BOEHMERVS ait,
nec nos legendo et perlegendo patres Apostolicos, et
qui proxime eosdem sunt consecuti, reperire potuimus.
Quin nec TERTVLLIANVS contra eam differuit,
quod si fecisset, non magis diuinis veritatibus nocere
potuisset, quam reliqua e MONTANI schola, (quam infe-
cisse TERTVLLIANI doctrinam, satis constat,) profecta per-
niciosa dogmata. Quum autem *bonum esse*, aiatur TERTVLL-
LIANVS, *cum puniuntur nocentes*, (non enim quod
BOEHMERVS habet, *innocentes dixit*,) *nec hoc nisi
nocentem negare*, statuatur, legem diuinam magnopere
firmat: vt alia eiusdem auctoris, et reliquorum suae aet-
tatis testimonia omitram. Quid igitur superest BOEHME-
RO ex omni antiquitate, quo legem diuinam cum ra-
tione impugnare possit? Fastidium et horror, quo pri-
mi Christiani perfundebantur, vbi sanguis effundendus
erat, eorumque alienatio a sanguinariis. Sed quae vis
in hoc insit argumento, videre non possumus.

§. XVIII.

Scire cupio, numquid iusserit Deus magistra-
tum esse sanguinolentum, dum homicidas plectere ius-
sit? Num quid tale praeceperit alumnis doctrinae suae
Christus? Num quid tale in eius more et instituto po-
situm fuerit? Quid est, quod lenitatem et mansuetudi-
nem illius spiritus, qui ex feris et immanibus mites
reddit et mansuetos homines, sic interpretentur, vt ius-
titiam

stitiam diuinam vel nullam reddant, veleius administreae, ciuilibus potestatis, neruos incidant? Fateor, nullo ex anti-quitate exemplo probari posse, primos christianos aliquem rei capitalis reum fecisse, aut damnasse, aut vim vi repulisse. Sed qui damnare potuere, quibus non mandatus fuit magistratus? qui reos facere ipsos de-cuit reos factos, (q) omnique supplicio excruciatos? qui magistri sui vestigiis (r) insistentes, idque agentes, vt non modo aeternae veritatis testimonium dicerent, sed etiam morte confirmarent, ceterum quod alienae po-estatis fuit, quibus mandata erat, relinquerent.

§. XIX.

Plane haud scio, quid sit historia abuti, si hoc non est. Nihil enim aliud loquuntur antiqua monumenta ex altero seculo post Christum natum, (nam ex primo nihil, quod ad hanc rem pertinet, temporis superauit dif-ficultates,) quam hoc: *innocentem de supplicio alterius lae-tari non debere, et tales tantum in amphitheatrum Ro-manum ire solitos fuisse, qui saeuitiam, impietatem, et feritatem permissam sibi esse putarent, siquidem non semper nocentes vel ad bestias vel ad quodcunque sup-plicium rapuere Romani, saepeque gladiatores innocen-tes idcirco in ludum ire coegerunt, vt publicae volu-ptatis hostiae fierent.* (s) Tales autem mores nec ipsi
Roma-

(q) Videatur TACITVS Annal. Lib. XV. SVETONIVS in Claudio cap. XXV. TERTVLLIANVS in apologetico aduersus gentes cap. VII. et reliqui calumniarum, vexationum et cruciatuum, quibus gen-tilis anixerunt christianos, fide digni testes, a Kortholdo et aliis laudati.

(r) Ioh. VIII. II. Luc. IX. 56.

(s) TERTVLLIANVS l. suprac.

Romanis bene animatis, CICERONI, SENECAE, et aliis, probabantur: qui igitur Christianis probari poterant? et quid eae res pertinent ad iustam homicidiorum, ab ipso supremo numine imperatam ultionem, quam nec Christus, nec Apostoli damnauere, quin explicite confirmarunt, nec Patres Apostolicos improbasse doceri potest. Sufficiant haec cum ad vindicandam auctoritatem legis aeternae de homicidio doloso, percussoris nece expiando, (aeternam enim quis negabit, quae violatae imaginis diuinae vlciscendae, et salutis publicae tuendae causa, necessario sancita est?) tum ad demonstrandum, quam facile abusus historiae certissimis veritatibus diuinis fraudem facere possit.



CAP. III.

DE

HISTORIAE EIVSQUE NOMINIS
ABVSV IN IVRE PVBLICO.

§. XX.

Properat nunc calamus, nonnullis domesticis exemplis planum facere, quas pugnas et strages edat *historiae eiusque nominis abusus*, cum alteram iuris civilis, eandemque principem partem vel positionem, (vt VLP IANVS loquitur,) (t) quae ad statum reipublicae

(t) L. I. §. 2. ff. de Iustitia et iure.

blicae spectat, corruerit. Sed ut tanto certius quo contendimus, eo perueniamus, quodque cupimus, id nostra efficiant exempla, viam ante magis munire placet, atque verum et laudabilem historiae usum in iure publico paulo explicatius ante oculos ponere, quam supra in Dissertatione fecimus.

§. XXI.

Is tum maxime conspicuus est, cum calliditas *historia*, aut *eius nomine* abutitur, hoc est, cum vel ex rebus gestis alias excerptit, alias praeteruehit et reticet, vel nunquam gestas simulat atque confingit: quod ubi fit, historia, omni ex parte perfecta, omnem rem, siue totam factorum seriem, nulla circumstantia praetermissa, fideliter exponendo, mendacium denudat, redarguit, et de loco suo ita deturbat, ut ubi consistere possit non habeat. Quod qua ratione, quae via procedat, nunc vna et eadem opera, qua historiae abusum illustrare decreuimus, per omnia expediemus exempla.

§. XXII.

Sicuti autem omnis historiae abusus in eo situs est, ut contra verum nitatur: ita sine dubio historia abutitur, qui ex ea aliam rem, quam quae est, facere conatur, quum et sic a veritate certissime deflectat. Atqui si quisquam est, qui, ut historiae naturam mutaret, atque in eam iuris transfunderet vim, omni opera et studio elaborauerit, certe LVDWIGIVS is est. Nam cum in *Singularibus iuris publici* omnia falsa iuris publici Germanici principia recensuisset, atque in eorum numero et leges Imperii reposuisset; tandem

vnum

vnum verum fontem, et primum iuris publici principium, laudavit *historiam*, et *formulam Germanici Imperii*, vjunque octo seculorum ab anno DCCCCXII. ad nostra usque tempora. (u) Quo nihil singularius, nihil cum a iuris, tum ab historiae rationibus alienius, fingi potest.

§. XXIII.

Si hoc dixisset, sine historia nihil profici, non solum ad ius publicum scriptum intelligendum, sed etiam ad nonscriptum inuestigandum, omnes profecto iustos nobilissimae huius artis aestimatores et cultores habiturus esset suffragatores, quorum nullus est, qui iuris publici dura initia, hoc est primam, historiae expertem, adeoque exsanguem et eneruam, tractandae huius illustris disciplinae rationem, quo maiores nostri utebantur, non hodie doleat. Qui vero ius aliunde, quam ex legibus proficisci, contra narratio factorum, quatenus legibus opponuntur, in legum locum succedere, atque earum potestatem et quasi regnum recte occupare possit? equidem non video.

§. XXIV.

Nam quamuis ex factis ius manare posse non negem: factis tamen iuris virtus ex legibus ante accesserit oportet, quippe per se rebus gestis nulla iuris vis inest. Per se quidem utilia aut noxia esse possunt facta: sed quod iusta, aut iniusta sunt, id legibus acceptum est referendum. Si igitur quicquam iuris recte de factis praedicare velimus, ad leges ea referamus necesse est.

Q²

Hoc

(u) pag. I. et II. Praef.

Hoc ubi fit, cum legibus congruentia bene audiunt, discrepantia male. Item ex collatione factorum cum legibus demum apparet, factis aliis: acquiri, aliis amitti quid iuris posse: itemque alia facta poenas recte, alia manere proemia. (x)

§. XXV.

Nec dictis obstat ius nonscriptum, quod ex actibus exercitis vel factis nascitur: nec illa singularis virtus, facto possessionis in anno normali MDCXXIV. per Transactionem Osnabrugensem tributa. (y) Nam utriusque auctoritatem ex legibus pendere, ipsae leges satis probant, quibus etiam factorum qualitas ita definita

(x) Vel sola illustris controuersia de iure coronandi et vngendi Imperatorem et Regem Romanorum, superiore seculo mota, condonet, quam minime factis per se iuris vis insit. Nam cum de illo iure disceptarent ARCHI-EPISCOPUS, MOGVNTINVS et COLONIENSIS, factorum etiam non plane nulla habenda erat ratio, tamen non factis, sed legibus diiudicanda fuit lis, non eam modo ob causam, quod vterque actus exercitus plures probauerat, verum etiam quod vtrius actus legibus conuenientes fuissent, id in quaestione erat: quin nec conuenientiae atque consensui factorum cum illa Caroli IV. pragmatica sanctione, quam auream bullam vocant, acquiescendum, sed haec ipsa ex iure Pontificio interpretanda erat, secundum quod vnctio ad iura ordinis, et ad Metropolitanos, in quorum prouinciis reges coronantur, pertinet. Ad quam igitur iuris normam lis A. MDCLVII. ita composita est, vt vtrique eorum in sua prouincia regem vngendi ius esset: sin autem extra vtramque vngendus foret, alternis vicibus illa sacra obirent, incipiente MOGVNTINO. Vide LONDREII *Acta publ.* T. VIII. cap. LXIV. p. 121. et DIARIUM EVROP. T. I. p. 948.

(y) Art. V. §. 2. 14. 25. Conf. HENNIGESII *Meditat. ad Instrum. Pacis Westph.* l. c. SCHILTER *de termino a quo restitutionis bonorum ecclesiast.* HILDEBRAND *de anno decretorio.*

nita est, vt vbi quidquam eorum, quod leges requirunt, desit, facta frigeant, iurisque vi destituantur.

§. XXVI.

Certe id vitii vel incommodi habet LVDEWIGII doctrina, vt facile incautis persuadere possit, factorum aeternam esse auctoritatem, nec ea, quam semel habuere iuris vim, unquam amittere posse. Ex quo consequitur, nihil aliud esse historiam, nisi armamentarium, perpetua omnium in omnes bella instruens, ac nunquam permittens, vt tranquilla, tuta, stabilis pax sit inter homines, certaue rerum sint dominia.

§. XXVII.

Quare nullus perniciosior opinionis error illo esse potest: *Iuris publici principium verum non leges, sed historiam esse*, tanto magis hominibus eripiendus, quanto capitaliores alios gignit errores, certissime demum effecturos, vt tota nostra misceatur respublica, atque satis tandem enervata, labefactata, diuisa, potentiorum praeda fiat, terraeque, ex quibus adhuc constat Imperium R. G. debiles veteris fortissimi reliquiae, aliorum miserae regnorum accessiones et prouinciae euadant. Exemplis res clarior fiet, cum tota ante LVDEWIGII ratio explicata fuerit.

§. XXVIII.

Si ius ex factis pender, (quod LVDEWIGIO videtur,) et ita pender, vt ante facta ius nullum sit: (z)

Q₃

confe-

(z) Verum hoc HOBBSII dogma est, *omne ius hominum a pactis (sive factis) proficisci, et ante pacta nullum ius esse*. Negat igitur ius naturae: quod hodie et alios praese ferre haud pudet.

consequens est, aut vnis factis aeternum acquiescendum esse; aut factis posterioribus priora mutari et infirmari recte posse, si prioribus paria sunt, nempe quod ad vim iuris constituendi attinet, contraria vero, respectu voluntatis hominum, dominiorum, possessionum, facultatis habendi et agendi, verbo quod ad iuris effectus. Si prius statuis, ante omnia expediendum est, a quo tempore incipiendum sit, vel quae tempora, quaeue facta prima sint habenda? Hoc quum per multitudinem et varietatem temporum, explicari nequeat: posterius necessario est concedendum. Sic exempli causa CAROLVS V. sua et Electorum voluntate, olim Imperator factus, eadem mutua voluntate demum Imperator esse iuste desit: quo facto, illius nullum Imperii ius reliquum fuisse, nemo negauit, nisi EPISCOPVS ROMANVS, quem vëro false et recte risit LVDEWIGIVS, nec enim vnquam hic contra abdicationis illius vim stetit, quippe quam infirmare minime potuit, siquidem alioquin nec umbram quidem et imaginem iuris, (non dicam veri iuris solidam naturam,) unquam receptura essent facta. At in aliis exemplis, et in vniuerso iure publico nostro aliter rationes iniit, eosque lusit, qui statuunt: *cum omnia mutet aetas, neque nostram rempublicam per octo seculorum interualla, eodem loco stessisse, temere credendum esse.* (a) Quid opus est verbis, cum rerum testimonia in LVDEWIGII scriptis, nominatim in *der vollständigen Erläuterung der guldnen Bulle*, (vt taceamus, quas scenae seruiens edidit, iurium singularium expositiones, vel deductiones,) satis explicate extant, in ea ILLVSTREM VIRVM fuisse opi-

(a) *Singular. Iur. publ. Praef. p. 107.*

opinione: *aeternam esse factorum auctoritatem*: quae tamen, si per rerum naturam esse posset, de quo merito dubitamus, certe salua generis humani salute, salua republica nostra, esse nequit.

§. XXIX.

Nam'quid demum futurum est, si factis antiquis, ad euertenda recentiora, pro cuiusuis arbitrio niti liceat? Quis aequo animo satorus esset, si exempli caussa, Duces Lotharingiae ad Archiofficium Imperii R. G. iam per plura secula alii mandatum, eam ob causam adspirare vellent, quod tale munus olim GISELBERTVS LOTHARINGIAE DVX obiit, cum Imperatori OTTONI. diadema imponeretur? (b) Quis non indignaretur, si eorum, quae SIGISMVNDVS IMPERATOR de suo aliis concessit, nunc rationem habere quis vellet, ad labefactanda possessorum iura? Cum superiore seculo periculosum nonnemo dedisset consilium renouandae in ciuitatibus imperialibus potestatis; quam olim Aduocati earum habuere: explosa et reiecta est ea sententia, (c) vt rogata lex imperii perlata minime fuerit,

nul.

(b) V. WITTICHENDVS et BITMARVS, laudati a CONRINGIO *de officialibus Imperii*, et ILLVSTRI MOSCOVIO *de originibus officiorum aulicorum*.

(c) Videatur der gründlich historische Bericht von denen alten Reichs- Vogteten, bey denen Erb- Frey- und Reichsstädten, wie auch bey denen heben und andern Stiftern und Clöstern, so dann von denen Pfalz- graffschaften bey denen weltlichen Fürstenthumen und Ländern. Stuttgart A. MDCLV. cuius libri lepidum initium sic habet: Demnach bey zurückenden Alter und damit einfallenden Gebrechlichkeiten des heil. Kö- nigschen Reichs teutscher Nation, allenthalb praeseruativ und confor-
tan-

nullo dubitante, quin et iniqua, et reipublicae turbanda, quam augenda, aprior fuerit: hoc enim monstrabat consilium illud, ut quicquid nefarie contra ciuitates admitteretur, id etiam aduersus caeteros Status suo tempore, ruptis Imperii legibus, valiturum esset.

§. XXX.

tantia spargiret, und zwar unter selben insonderheit etlichen Chur- und Fürsten, so wohl Röm. Kayserl. Maj. selbst von einem und anderem Empyrico oder auch Haupt-practico für ein treffliches cordial, ia gar als ein alexipharmacum und panacaea hochbrühmlich angegeben werden will, wann man in den sämtlichen Reichsstädten als gewesenen Kayserl. Cammergütern, die vor Alters herkommen, aber in Abgang gerathene Kayserl. Burggrafen, Reichs-Boigte, Reichs-Pflegerer, Reichs-Schultheisse, oder Reichs-Ammanne, wiederum ein- und aufführen werde. Als solle allen redlichen und verständigen Patrioten, (welchen summa et salus reipublicae nicht nur auf der Zungen oder äußerlichen Goldwage, sondern stets für ohnpassionirten Augen, und in einem aufrichtigem Herzen schwebt,) billig angelegen, oder ie nicht verwehrt seyn, dieses angegebene secretum oder experiment auf genauere Prob politischer consideration zu setzen, und dadurch gründlich zu erfahren, wie es damit eigentlich beschaffen, oder was für eine quinta essentia endlich herauskommen möchte. Hoc prooemium accurata sequitur tractatio, qua illam tutelarum vel Aduocatarum in ciuitatibus Imperialibus restitutionem haecenus ad omnes status Imperii pertinere demonstraui auctor, ut, si aequum sit, quae sensum mutata sunt in Imperio, in pristinum locum reponi, omnia fere principum et comitum iura in maximo versentur periculo, quippe a dominio Imperii profecta, et ad illud etiam necessario reuocanda, si aequabile et par inter omnes ius vigere debeat. Qua occasione historia adeo scite vsus est, et statum Imperii Germanici veterem, additis probationibus, tam prudenter descripsit, tamque solide descriptum in Apologia confirmauit auctor, ut speciminis loco esse possit hic liber, quid in iure publico valeat historia, cum recte ea utamur, maxime ad illos reprimendos, qui antiquitatibus improbe abutuntur.

§. XXX.

Et quis hoc constituit ius, vt cuique integrum sit, ex omniaeuo illud sibi tempus, quod sibi maxime fauet, sumere, et in suas referre rationes? Dicat mihi LVDEWIGIVS, vnde sit vnus temporis antiqui prae reliquis praerogatiua et potius ius? Viderint quid agant, qui exempli caussa AVGVSTAE DOMVS BAVARICAE iura in hereditatem AVSTRIACAM (d) illo tempore metiuntur, quo BAVARIAE pars fuit AVSTRIA, quandoquidem et diuisio, si non ante, tamen vno et eodem tempore facta est, quum BAVARIA AVGVSTIS MAIORIBVS SERENISSIMORVM HODIE POSSIDENTIVM obtigerit, et ante diuisionem Ducatu haud fatis iuste exciderint GVELPHI.

§. XXXI.

Pari ratione iuris publici fundamenta in lubrico locant, qui hodie ius Principum *das Fürsten-Recht* vrgent. Nam omnes ab antiquitate, (e) pro illo iure integrando repetitae rationes haud sufficiunt, ad infirmanda

(d) Nostrium cum non sit arbitrium de illa cōtrouersia, integrum cuique ius suum relinquinus, id tantum agentes, vt, quibus salua caussa superfedere rationibus potuit defensor iuris Bauarici, eas propterea notemus; quia in historiae abusum abeunt tales argumentationes.

(e) Vid. REGINO ad a. 788. ANNALES LAVRISHAMENSES ad e. a. MONACHVS EGOLISMENSIS *in vita Caroli M.* p. 253. ANNALES FRANCORVM EGINHARDO perperam adscripti, ad a. 818. THEGANVS *de gestis Ludouici* p. 307. ADEMARVS ad a. 818. ANNALES FVLDENSIS ad a. 870. LVITPRANDVS Lib. II. cap. 3. REGINO ad a. 905. CHRONICON AVGVST. ad
R
a. 1196.

manda recentiora facta, quibus illud ius vel abolitum, vel mutatum et correctum est. Abolitum esse, siue de consuetudine longa conticuisse hoc ius in causis criminalibus, inde patet, quod praeter causas proscriptionis, siue uti haec etiam audit, Banni, reliquarum omnium ergo hodie nullum amplius iudicium, excepto diuino, metuendum est Principibus, nulla persecutionis vel ultionis publicae vestigia in actis Imperii per centum et plures annos exstant. Mutatum vero et correctum est, dum alias causas, quae olim in iure Principum iudicabantur, comitiis referuarunt leges Imperii, alias usus ad iudicium Imperiale aulicum traxit, nullo per quinquaginta annos, ex quo instauratum est, impediendo, postea mussitantibus quidem aliis, aliis (f) Anno MDCI. aperte quidem reclamantibus. quorum vero conatus antea facta abolere tanto minus potuerunt, quanto magis ipsi et eorum posterius, vel ab aliis rei facti, vel alios reos facientes, iudicii imperialis aulici auctoritatem et iurisdictionem firmarunt et constabiliuerunt. Ut igitur plane noua lege opus sit, ad renouandum et instaurandum illud

a. 1196. *Liber de Fundatione Monasterii Gozecensis* p. 235. OTTO DE S. BLASIO, cap. 24. MUTIVS Lib. XXIII. p. 214. GESTA BALDVINI Lib. II. C. 7. 8. BROUVERVS *Annal. Treuir.* Lib. XVII. §. 15. ALBERTVS ARGENTORATENSIS p. 161.

(f) Nominatim FRIDERICO ELECTORE PALATINO, IOACHIMO ELECTORE BRAND. IOANNE COMITE PALATINO, GEORGIO FRIDERICO MARCHIONE BRAND. HENRICO IULIO DVCE BRVNOV. FRIDERICO, ERNESTO, FRIDER. MARCHIONE BADENSI, FRANCISCO, DVCE SAX. IOANNE COMITE NASSOVICO, et GOTOFREDO COMITE OETTINGENSI. Vid. *Ludewigs rechtliche Erläuterung der Reichs-Historie* p. 362.

illud ius Principum, si vnquam restaurari illud e republica esse videbitur.

§. XXXII.

Ex his tamen satis perspicuum est, non nugis modo agere, sed pessime etiam de republica mereri, qui historiae munus cum iuris officio commiscent: tamen perutilem fore censeo planiorem illius indiscretæ et immoderatae misturæ explicationem, cuius vero indignitatem et iniquitatem saltem monstrare, non hominum famæ insidiari, animum induximus. Ante omnia autem bona fides non patitur, ut silentio prætereamus, quibus verbis suam de auctoritate historiae sententiam explicauerit Ludewigius, quibusque argumentis eandem tuitus sit. Quare pergimus hic ex *singularibus iuris publici* (g) tradere, quæ ad oppositum illud, *cum omnia mutet ætas* etc. regesserit, nempe hoc: *satis esse, quod Germaniam principem in patria republica colamus etiam nunc, ut sufficere nobis queat utriusque in utroque æuo, nostro ac veteri, harmonia. Et si credendum est,* (pergit LVDEWIGIVS,) *naturæ et rationi: quod mutatio sit facti, docenda ideo et probanda, non credenda temere, quod mutatio accidat, ideoque non præsumenda: quod si quis initium et originem probauerit atque tempus nouissimum, intermedia quæque sunt præsumenda.* Haec principia quam recte, vel minus, iuri publico imperii R. G. aptauerit, ad constabiliendam hanc suam sententiam, qua omne ius pu-

R 2

bli.

(g) Praef. pag. 107.

blicum nostrum niti debere, vel tum demum sibi constare ius publicum, arbitratus est:

Si FORMVLAM Germanici imperii, quae nouissima est, eandem etiam olim ante VIII. seculorum interualla fuisse, et tempore intermedio semper ita continuasse, constet,

postea videbimus. Hic de ipsa thesi, nullius hypothesos habita ratione, saltem ago, et vehementissime hanc comprobo sententiam:

Mutationem non recte praesumi, si praesens rei alicuius status cum veteri congruit: adeoque si quis initium atque tempus nouissimum probauerit, eundem intermediarum probatione non onerandum esse.

Quid? quod nec probatam ab aliis intermedii temporis rei conditionem recentissimo recte constituto statui fraudi esse posse puto, quin et initii probandi onere leuari eum, qui recentissimum statum solum probauit, atque probandi contrarii curam et molestiam in illum, qui eo nititur, deriuare statuo. Sed nego vim praesumptionis illius primo, si initium fingitur, vel per abusionem nominis historiae conficitur: deinde si recentissimus status vitiosus est, et exempli causa, quis vel vi, vel clam, vel precario, rei alicuius possessionem adeptus, (nec enim illae qualitates sola Iuris Romani auctoritate possessiones vitiant, sed haec Iuris gentium vis est,) iniustam sibi habendi cupiditatem veteris status etiam veri, nomine praetexit. Postremo si recens status vitiosus est, etsi antiquus, vel initium recte se habuit, tamen intermedii temporis rationem ita habendam esse

cen-

cenfemus, vt qui eo nititur, probationis onus fuf-
tineat.

§. XXXIII.

Sed faciamus periculum excutiendarum rationum,
quibus fubductis LVDEWIGIVS praefentem Germa-
niae ftatum temporibus post-Carolingicis metiendum
effe exiftimavit.

Argumentum I.

„ *Principio CAROLINGICI imperatores ac re-*
„ *ges GERMANIAM acquifuerunt BELLO CUM PRO-*
„ *VINCIIS; inde praefumptio imperii ABSOLVTI (a):*
„ *contra GERMANICIS imperatoribus et regibus de-*
„ *lata GERMANIA, faluo principum POTENTATV*
„ *in PROVINGIIS, liberrima ELECTIONE populi*
„ *ac feptemuirorum ducum; vnde praefumptio imperii*
„ *ADDVCTI et constricti limitibus (b).*

§. XXXIV.

Probatione fic defunctus eft illuftr. de LVDEWIG:
„ (a) Franciae reges prouincias Germaniae armis
„ fubiugauiffe; hoc facile ad probandum eft earundem
„ *inductione* fingulari. Nam an. 496. ferro ac igne
„ *Sueuiam* fibi fubiecit *Chlodouaeus*, rege Sueuorum
„ fugato et expulfo, populoque fubiecto fibi cum do-
„ minatu fere immani. Anno 530. *Thuringiam* bello
„ impetiit THEODORICVS, occifo Thuringiorum
„ rege HERMENFRIDO cum fuis liberis, regnoque
„ redacto in Francici regni prouinciam. Anno 804.
„ SAXONES, post XXXIII. annorum bella, demum

„ prostravit CAROLVS M. Wittekindo eorundem
 „ adscripto matriculae subditorum. Anno 788. BO-
 „ IOARIAE ducem *Thassilonem*, perfidum et perdu-
 „ ellem, proscripsit,prehendit captiuum, vltimoque
 „ supplicio adfecit idem CAROLVS M. Boioaria di-
 „ stracta in pagos, comitibus ceu praefectis addictos,
 „ ne occasio porro esset, ad deficiendum subditis sub
 „ principe perduelle. Habes igitur superioris edicti
 „ veritatem: *Germaniam omnem a Franciae regibus*
 „ *bello fuisse acquisitam* atque redactam in potestatem.
 „ Quod si verum est, quis autem negauerit rem, omni-
 „ bus scriptoribus testatissimam? de *nexu consecutio-*
 „ *nis* eo minus est ambigendum: *quod prouinciae, bello*
 „ *acquisitae, praesumptionem habeant imperii absoluti.*
 „ Cum enim hostibus vitam eripere licet; quidni et li-
 „ bertatem (h)? Et, si licuerit hoc victori, quidni et
 „ libuerit? Libuisse hoc FRANCIS victoribus, illud
 „ adparet re ipsa. Ideo *occisi deuictorum reges*; ideo
 „ *euerfi ducatus*; schemata imperii clientelaris; imo
 „ adscripta ideo omnia *fisco*; administrata omnia a ma-
 „ gistratibus. Quo censu *comites* aestimandi, prae-
 „ fecti territoriis, in prouinciae formam redactis.
 „ Ita fuerat imperium Francicum et Carolingicum.
 „ (b) Carolingica *stirpe* regali an. 913. in Germanis
 „ *extincta*: LIBERTAS rediit Germanis et GERMA-
 „ NIAE PRINCEPS postliminio. Quod probo. Prin-
 „ cipio quidem *inductione prouinciarum et principum*
 „ fin-

(h) „ Est iudicium hoc XENOPHONTIS in *paedia Cyri lib. VII.*
 „ *pag. 156.* quod *νέμος αιδιος* AETERNAQUE LEX sit: *bona for-*
 „ *tunasque cedere victori in deuictis.* Omnia praesumi ablata,
 „ *quae relicta, illud non credendum; sed probandum,* reliqua,

„ singulari. Nam de SVEVIA tum EKKEHARDVS
 „ *de casibus S. Galli cap. I. nondum adhuc illo tempore*
 „ SVEVIA in DVGATVM *redacta*, (id est suo prin-
 „ cipe territoriali instructa,) *sed FISCO REGIO pecu-*
 „ *liariter parebat*, (id est omnia regalia fuerant in
 „ Suenia Caesaris,) *sicut et bodie Francia*, (puta Rheno
 „ vicina, quae regis Germaniae, vti tum, ita quoque
 „ postea fuerat prouincia domanialis aut cameralis.)
 „ Ita enim, pergit, *procurabant ambas CAMERAE*,
 „ quos sic vocabant, NVNTII, (nostro aeuo ac orbi
 „ Kriegs- und Domainen-Räthe). Idem in *cap. 2.*
 „ nominat illos, qui *Sueviae*, extincta Carolingica
 „ stirpe, dederint principem territorialem, ne forte a
 „ Rege Germaniae Cunrado videretur electus esse.
 „ *Sueviae principum* (id est primi ordinis procerum
 „ prouincialium, der Landstände) *adsensu statuunt*
 „ PRIMVM DVCEM. Idem repetit in duce Sueviae
 „ successore BERTHOLDO II. idem: PRINCIPES
 „ ALEMANNIAE (Sueviae) *unanimiter conueniunt*
 „ *sibi que DVCEM totius SVEVIAE CONSTITV-*
 „ *VNT (i)*. Caecum esse oportet, qui non viderit,
 „ intellexisse SVEVOS sua iura, Carolingica stirpe
 „ victrice extincta, summam rerum ad populum, quon-
 „ dam a Francis deuictum, rediisse. Quid? quod
 „ non intellexerint tantum haec iura; sed etiam vsur-
 „ pauerint ea. Nuntio misso CAMERAE IMPERIA-
 „ LIS CAROLINGICAE in SVEVIA NVNTIIS;
 „ contra sibi electo ac constituto *principe territoriali*

BVR-

(i) „ Idem habetur in *fragmento ANONYMI*, Alberto Argentora-
 „ tensi praemisso, apud Vrsium. Idem dicit BERTHOLDVS
 „ *Constantiensis*.

„ BURKARDO, cum dominio et potentatu. Atque
 „ haec de SVEVIA.

§. XXXV.

„ Sequitur altera *anastasis Germaniae principis*
 „ in ducatu *Boioariae*. Nam ARNOLDVS, extincta
 „ Carolingica stirpe an. 913. id egerat; vt se suosque
 „ BOIOS a *systemate Franco-Germanici imperii* auel-
 „ leret prorsus, vtereturque *iure illo postliminii*, quo
 „ olim *Boioaria regnum* fuerat peculiare, vsque dum
 „ *Thassilo Boioariae princeps*, an. 788. a Carolo M.
 „ victus, trucidaretur; *Boioaria* autem, in *prouin-*
 „ *ciae Francicae* formam redacta, *fisco Franciae regis*
 „ adscriberetur. Audito igitur *Ludouici III.* siue in-
 „ fantis morte, suffragio *procerum Boioariae*, adpel-
 „ latus est REX BOIORVM. Fuerant tum duo publi-
 „ ci iuris problemata. Primum fuerat: *num Boioaria*
 „ *euadere debeat regnum peculiare atque systemati*
 „ *Germaniae subduci?* Alterum vero hoc: *num Bo-*
 „ *ioariae peculiaris dux aut princeps indulgendus Ger-*
 „ *manico imperio, vti alii, clientelaris?* Si vltimum
 „ satis fuisset ARNOLDO; obtinuisset illud bona pace
 „ CUNRADI, noui in Germania *regis* haud dubie,
 „ instar *Burkardi in Sueuia; Ottonis in Thuringia;*
 „ *Ottonis in Saxonia.* Sed quod *primum* vellet; illud
 „ dari non poterat ei, ne Germaniae regnum discer-
 „ peretur in partes. Igitur, septennio isto, quo vixe-
 „ rat *Cunradus, nouus rex*, perpetua ei cum eodem
 „ diffidia ac bella. Ideo, quando eius aevi scriptores
 „ hunc ARNOLDVM *malum* dicunt et impetunt diris:
 „ illud non in *altero conatu; sed primo* est accipien-
 „ dum.

„ dum. Cum interesset Germaniae; non *principatus*
 „ cauere *singulares*, indultòs a CUNRADO, nouo
 „ rege, omnibus Germaniae prouinciis aliis: verum
 „ *exemptionem et diuulsionem* systematis Laconici.
 „ Quod institutum omnes boni damnarunt. Quid i-
 „ gitur, mortuo CUNRADO an. 918. demum fit? Ab-
 „ stinet ARNOLDVS a *primo* et in *altero* demum ac-
 „ quiescit. Inde PAX cum HENRICO AVCVPE
 „ inita, simili aliis prouinciis modo; ESSET ARNOL-
 „ DVS BOIOARIAE DVX CVM DOMINIO ET POTEN-
 „ TATV IN CIVILIBVS ET SACRIS; MODO TAMEN
 „ ET NEXV CLIENTELARI REGI GERMANIAE. Quod,
 „ ne ex ingenio videar finxisse, idoneis testibus nunc
 „ probabo. *Principio* quidem consilia ARNOLDI
 „ fuisse haec: vt *Boioariam* Germaniae subduceret
 „ prorsus; illud clare definiunt scriptores. Dicit
 „ LVITHPRANDVS *lib. 11. cap. 7. Hac tempestate*
 „ LVDOVICVS (infans 913.) *moritur. CUNRADVS*
 „ *cunctis a populis ordinatur. Sub quo potentissimi*
 „ PRINCIPES (non officiales et magistratus regii,
 „ vti sub Carolingis) *Arnoldus* in BOIOARIA; *Bur-*
 „ *kardus* in SVEVIA; *Giselbertus* in LOTHARIN-
 „ GIA; *Henricus* in SAXONIA et THVRINGIA.
 „ *Arnoldus, nimio CUNRADI terrore coactus cum*
 „ *filiis ad HVNGAROS fugit. Septimo anno post,*
 „ *mortuo Cunrado R. rediit in BOIOARIAM; homo-*
 „ *rifice a BOIOARIIS suscipitur et vt REX (Boioa-*
 „ *riae) fiat, ab eis vehementer exposcitur. R. HEN-*
 „ *RICVS auceps, quum obtemperare suis omnes iussio-*
 „ *nibus (saluo territoriali iure, exemplo Sueviae et*
 „ *Lotharingiae) Arnoldumque solum resistere cerne-*
 „ *ret,*

„ *ret, cum exercitu in Boioariam tendit. ARNOLDVS*
 „ *obuiam it ei (vt hosti, non vt regi:) cupierat*
 „ *sane et ipse REX (Boioariae puta) fieri R. HEN-*
 „ *RICVS metuens irrecuperabile damnum, Arnol-*
 „ *do, quatenus cum SOLO SOLVS loquatur, denuntiat.*
 „ *Putans ARNOLDVS, se velle singulare certamen*
 „ *(quod non fiebat perduelli, sed hosti) ad condictum*
 „ *venit. Nunc corripitur Luithprandus poetico fu-*
 „ *rore, cui indulget. Igitur rei ipsius considerandus*
 „ *est exitus. Qui erat hic: ARNOLDVS (ex consen-*
 „ *su Boioariae ordinum) HENRICVM regem eligeret*
 „ *(aut electum potius, Boiis inconsultis, agnosceret)*
 „ *eique iuraret clientelam: contra Henricus (auceps)*
 „ *indulgeret Arnoldo in Boioaria principalem potentia-*
 „ *tum etiam in sacrorum iure et EPISCOPIS nomi-*
 „ *nandis. Quod vltimum praecessores eius non habue-*
 „ *rint. Haec mens verbaque LVITHPRANDI, scri-*
 „ *ptoris coeui. Quae iisdem fere verbis repetunt*
 „ *VRSPERGENSIS in Henrico I. p. 208. Otto FRI-*
 „ *SINGENSIS; ALBERICVS; COSMAS Pragensis*
 „ *ad an. 937. additque BOTHO in chron. Brunsv. ad*
 „ *an. 921. do wart de krige gestilt in der wise: dat*
 „ *bertogh ARNOLT de bishpdom in Beygeren vam-*
 „ *oeme mochten to lene ghan: dat wart oeme to gege-*
 „ *ven. Licet enim de ordinibus ciuilibus (denen*
 „ *Landständen) nulla dubitatio esset; quod illi porro*
 „ *addicti esse deberent non Caesari aut regi Germa-*
 „ *niae; verum DVCI suo territoriali: EPISCOPI*
 „ *tamen primo adhaerere maluerunt. Non confide-*
 „ *rantes: licet episcopatus a Carolingicis Germaniae*
 „ *imperatoribus et regibus conditi essent, stirpe ta-*
 „ *men*

men eorundem extincta, summitatem ad Boioariae
 duces rediisse postliminio. Idque ob axioma iuris
 notissimum: *resoluto iure dantiis etiam resolutus ius*
accipientis. Quod magis est, ipse imperator hanc
 causam agnoscit, definitque eam apud DITMARVM
lib. V. p. 368. Bauarios ab initio (extincta Caro-
 lingica stirpe) DUCEM ELIGENDI (exemplo no-
 stri Arnoldi) *liberam potestatem habere* (similem a-
 liis Germaniae prouinciis). *Non decere illam de-*
mere aut frangere. Consilium principum (proce-
 rum Boioariae, der Landstände) *expectandum esse.*
 Quod cum ita sit, coaeuorum auctoritate testatissi-
 mum, quis fidem negauerit AVENTINO, Boico
 scriptori integerrimo, qui *lib. IV. annal. Boicor. p.*
292 hanc anastasin principis territorialis in Boioaria
 describit verbis amplioribus atque explicatius aliis (k).
 Quem ideo audiemus et recitabimus in infima mar-
 gine. Et ita quidem satis superque de *anastasi iuris*
territorialis ducum BOIOARIAE.

S 2

§. XXXVI.

(k) Verba AVENTINI, coaeuis concinna, *lib. IV. p. 292.* Sunt
 quidem haec: ARNVLVS (idem quam Arnoldus) *vbi cer-*
tior factus est de morte Caesaris (regis Cunradi I.) *Reginotar-*
gum redit. HENRICVS (auceps) *Boioariae fines petit cum exer-*
citu. E diuerso Arnulfus intrepidus procedit. Vtrique aequo fere
spatio (ne Henrico aucupi cedere videretur latum vnguem)
ad colloquium venerunt. HENRICVS (auceps post alia) *inquit,*
ut aperte tu sentias, quam nihil minus mihi cordi sit, quam do-
minandi libido (euerla principum in prouinciis potestate) *non*
solum regnum BOIOARIAE locupletissimum TIBI (Arnolde) *SI-*
CVTI POSSIDES (idque iure Carolingica stirpe extincta) *per-*
mitto: verum etiam opum ECCLESIASTICARVM patronum
te esse iubeo. Illos tibi CLIENTVLOS dico; modo nomen RE-

„ G18

§. XXXVI.

„ Sequitur SAXONIA, de qua eo minus est du-
 „ bitandum, quod testatissimum sit illud, quod OTTO,
 „ *Saxoniae dux, regnum*, sibi a *Francis* oblatum re-
 „ cusauit commendauitque ad hanc spartam CVNRA-
 „ DVM I. an. 913. Quoniam maluit OTTO *Saxonum*
 „ esse dominus, dux, princeps, bona pace ac suffra-
 „ gio populi sui, ad quem, regnatrice extincta stirpe,
 „ summa rerum redierat, quam vniuersae Germaniae
 „ suscipiendae aleam experiri. Ut adeo nulla ratione
 „ opinabile sit hoc; CVNRADI I. regis animum in-
 „ cessisse vllam cupiditatem SAXONIAE DVCEM, bene-
 „ factorem suum, destituere SAXONIAE POTENTATV
 „ ac superioritate. Contra scribit WITTEKINDVS
 „ *lib. I. annal. p. 934. clare et definite: penes OTTO-*
 „ *NEM (Saxoniae ducem) summum semper et ubique*
 „ *vigebat imperium.* Atque mox de eius filio HEN-
 „ RICO: *quod primus LIBERA POTESTATE (propria,*
 „ *non administratoria aliena) in Saxonia regnauerit.*
 „ Idque optimo quidem iure, ob *Germaniae principis*
 „ anastasin: verum fremente contra CVNRADO I.
 „ , hac

„ GIS (Boioariae) *abdicato* (cum rex sit, qui regem non ha-
 „ beat). *Cuncta alia TIBI habeo* (regalia omnia maiora et mi-
 „ nora, vti ex hoc etiam tempore exercere illa Boioariae ducis).
 „ *Quid nunc aliud tibi vis? Quid ultra desideras? Quae concupi-*
 „ *scis? Quae postulas? Vniuersa* (accessoria territoriiis regalia)
 „ *tibi sine armis, sine vi* (iure postliminii extincta stirpe regali)
 „ *obtinere licet. Facile ab Arnulfo id est receptum. Dextris ita-*
 „ *que datis ambo principes* (Henricus auceps et Arnoidus Boioa-
 „ *riae dux) PACEM FACIUNT. Cum liberorum connubio IVDI-*
 „ *THA filia ARNULFI (Boioariae ducis) HENRICO filio Cae-*
 „ *saris despondetur.*

„ hac causa tyranno, quod recusauerit *paterno Saxo-*
 „ *niae ducatu inaugurare filium* Henricum. Imo
 „ struxerit ei contra vitae insidias atque cogitauerit,
 „ hunc *Saxoniae* ducatus, iam nunc *hereditarii*, fi-
 „ lium successorem, e medio tollere. Verum SAXO-
 „ NIAE ORDINES (die Landstände) conscii et me-
 „ mores hereditarii iuris sui; *principi* suo suasores et
 „ impulsores fuere; vt parum curaret inaugurationem
 „ (*inuestituram*) REGIS CVNRADI I. Potius, mortuo
 „ patre, occuparet *Saxoniam* vniuersam, ipso iure
 „ heredi filio delatam. Imo, quod de *Boioaria* Sue-
 „ uiaque ostendimus, etiam vrserunt illud: *provincia-*
 „ *lium ordinum esse; sibi dare, eligere et constituere*
 „ *ducem*, a Caesare aut Germaniae REGE deinceps
 „ inaugurandum sine mora et difficultate. Adeo, vt
 „ *inuestitura regalis* non tam collatio esset habenda
 „ principatus, quam *instauratio* et *renouatio*. Et li-
 „ cet fremeret, ringeret, murmuraret et stomacharetur
 „ CVNRADVS R. moribundus tamen *gloriosa*
 „ *poenitentia* tactus est affectusque: vt *Saxoniae prin-*
 „ *cipem* et *ducem* HENRICVM commendaret suis
 „ *Francis*, vt eum *Germaniae regem* eligerent, mor-
 „ tuo dignissimum successorem. Sunt haec omnia ite-
 „ rum testatissima eius aevi historicis; quos ideo audi-
 „ emus, omissis iunioribus. Ita WITTEKINDVS
 „ *Corbeiensis lib. l. p. 634.* Regi LVDOVICO (infanti)
 „ non erat filius; *populus igitur Francorum et Saxo-*
 „ *num* (nihil hic de Boiis, Sueuis, aliisque) *quaerebat*
 „ OTTONI (Saxoniae duci) *diadema imponere regni.*
 „ *Ipse vero recusauit onus, cuius tamen consultu* CVN-
 „ RADVS *ungitur in regem.* Natus (Ottoni) filius

„ HENRICVS, *qui primus libera potestate* (id est,
 „ cum omni summitate, quod eum Cunradus recusa-
 „ ret inuestire) *regnauit in Saxonia. Cui pater to-*
 „ *tius Saxoniae reliquit* (hereditarie) *ducatum. Rex*
 „ *autem CUNRADVS* (metu potentiae nimiae) *ve-*
 „ *ritus est, ei tradere omnem potestatem patris* (in
 „ Saxonia et Thuringia scilicet vniuersa). *Saxones*
 „ *vero* (iuris postliminii extincta stirpe regnatrice con-
 „ scii) *suadebant DUCI suo; ut, si honore paterno*
 „ *(hereditate Saxoniae omnis) nollet sponte honorare:*
 „ REGE INVITO *omnis* *OBTINERI* *posset.* Post
 „ recenset; Hattonem, perfidum illum antistitem,
 „ mandato Cunradi regis, suffocare eum voluisse tor-
 „ que, hoc sine fabrefacto. Quas tamen insidias eua-
 „ serit Henricus auceps. Tandem pergit moribundus
 „ CUNRADVS I. *R. quod moribus nobilissimis prae-*
 „ *dito omnes cederent Henrico Saxoniae duci et summa*
 „ *rerum penes eum esset apud SAXONES. Sumptis*
 „ *insignis; lancea sacra; armillis aureis ac diadema-*
 „ *te misit fratrem ad eum, ut fieret rex Germaniae et*
 „ *multorum populorum.* Idem scribit iisdem verbis
 „ iudicioque DITMARS *Merseburgensis lib. I. pag.*
 „ 327. (1) audiendus in infima margine. Qui vterque
 „ cum historiae huic coaeuus fere, satis est hoc ad
 „ Germaniae tum principis veritatem in Saxonia pa-
 „ riter docendam.

§. XXXVII.

(1) „ Verba DITMARI sunt: OTTONE (Saxoniae duce) *carnis*
 „ *vniuersae viam intrante, HENRICVS in vacuum* (feudum) *suc-*
 „ *cedens HEREDITATEM IVRE et maximam BENEFICII*
 „ *(Saxoniae ducatus beneficiarii et feudalis) partem GRATVITO*
 „ *regis*

§. XXXVII.

„ Saxoniae adiungenda esset THVRINGIA docen-
 „ daque etiam ibi *Germaniae principis*, Carolidarum
 „ stirpe extincta, *origo legitima*. Verum eadem *Thu-*
 „ *ringiae* fata tum fuere, quae Saxoniae. Nam ac-
 „ cepit *Thuringia duces* iam sub ARNVLFO rege.
 „ Paucis multa complectitur REGINO ad an. 892. p.
 „ 68. *POPO dux Thuringorum dignitatibus expoli-*
 „ *tur. Ducatus, quem tenuerat, CVNRADO com-*
 „ *mendatur. Quem pauco tempore tenuit et sua spon-*
 „ *te eum reddidit. Deinde BURCKARDO comiti com-*
 „ *mittitur. Qui eum hactenus strenue gubernat. Sed*
 „ *occisus est ille in bellis Hungaricis an. 909. teste*
 „ *Lamb. SCHAFFNABVRGENSI ad h. a.* Et cum
 „ improlis esset, THVRINGIAE ducatus OTTONI
 „ delatus, iam tum Saxoniae duci. Qui *utramque*
 „ prouinciam, *omni iure, lege, limite, populo di-*
 „ *stinctam* adhuc, primus redegit sub potestatem *vnus*
 „ atque ita vnitam, *Carolingica stirpe extincta*, here-
 „ ditario.

„ *regis suscepit ex MVNERE* (more scilicet clientelari, in feudis
 „ solenni). *Et quod ei DECVIT cum SVIS omnibus* (Saxoniae
 „ prouincialibus ordinibus, ut modo vidimus) *a gre iulit. Quod*
 „ *REX caute considerans, ut ignotum, dissimulat. Et quem aliqua*
 „ *vi superare non praesumpsit* (id est, desperavit superare) *Hattonis*
 „ (archiepiscopum Moguntinum, personatum homicidam, et in-
 „ fidiatorem famosissimum) *ope decipere tentauit. Sed Henricus*
 „ *consilium insatuauit. Nam jaber torquis, (quo Henricus suffo-*
 „ *candus) prodidit insidias Henrico. Qui ideo omnia, quae illius*
 „ (perditi episcopi proditoris) *erant in SAXONIA et THVRIN-*
 „ *GIA* (nam utraque prouincia in paterna fuerat eius hereditate)
 „ *sibi praecepit occupari. Interea CVNRADVS* (morti vicinus)
 „ *populo PRIMARIO* (id est Francico) *in vnum collecto, ut HEN-*
 „ *RICVM, ad REGNI gubernaculum eligerent, commendauit.*

,, ditario iure, filio reliquit HENRICO *aucupi*. Huic
 ,, autem *uni duas prouincias paternas*, pariter relin-
 ,, quere et confirmare inaugurando ac inuestiendò re-
 ,, cusasse CUNRADVM I. regem, ne potentior esset
 ,, ipso rege, illud quidem nos docuere satis Wittekin-
 ,, dus et DITMARVS. Qui etiam referunt illud: *bac*
 ,, *regis inuidentia proposita in comitiis prouincialibus*
 ,, *THVRINGIAE, proceres impulisse Henricum, vt*
 ,, *omne, quod pater habuisset, ad se deuolutum crede-*
 ,, *ret* IP SO IVRE. Occuparet igitur cuncta, regis
 ,, CUNRADI I. *ingratiis, illius INVESTITVRA* ne-
 ,, que requisita porro neque expectata. Et hoc qui-
 ,, dem illo optimo iure: *quod ducalia feuda, in Germa-*
 ,, *nia principe, essent HEREDITARIA; per INVE-*
 ,, *STITVRAM nouam non tam CONFERENDA,*
 ,, *quam renouanda et instauranda.* Causam bonam
 ,, et iustam adiuuit etiam aduentus felix et prosper.
 ,, Nam licet hoc dogmate HENRICVS auceps in *re-*
 ,, *gis CUNRADI I.* incurreret iram; qui eum iusserit
 ,, tollere assassinio: tamen proditae sicarij insidiae et
 ,, ipsum regem, iam nunc morti vicinum, poenituit
 ,, iniuriae et immanitatis. Inde *Henricum*, iustitiae et
 ,, morum causa, fratri omnique populo commendauit,
 ,, quem, se mortuo, eligerent *Germaniae regem.*
 ,, Quod testimonium *Thuringiae principis, extincta Ca-*
 ,, *rolingica stirpe, eo maioris est faciendum; quod sit ad-*
 ,, *uersae partis, regis aut imperatoris Germanici ipsius.*

§. XXXVIII

,, Neque alia mens fuit principibus et regibus ex-
 ,, traneis; quam eadem cum Germanis: *victricis Ca-*
 ,, *roli*

„ *roli M. stirpe extincta, populos, olim deuictos, sui*
 „ *iuris factos esse.* Vti, domino sine herede mortuo,
 „ seruus fiat liber. Idque ipso iure, nulla alia causa
 „ manumissionis. Inde enim HVNGARI; BOHEMI; DA-
 „ NI; VENEDI, populi omnes, quos redegerat in suam
 „ potestatem Carolus M. et, semel redactas sub suo
 „ imperio retinuerant eius posterii, reges et imperato-
 „ res Germaniae; intellecto Carolingicae in Germa-
 „ nia stirpis interitu et abscessu, resumpserunt illico li-
 „ bertatem credideruntque, se Germanico dominatu
 „ ideo solutos fuisse ipso iure. Quod magis est, vici-
 „ nas etiam Germaniae prouincias inuaserunt, nullo
 „ rubore vel memoria pristini nexus. Nam *Hungari*
 „ Boioariam et Sueuiam; *Venedi* et *Dani* Saxoniam
 „ deuorauerant iam spe. Neque haec fefellisset eos;
 „ nisi *Henricus auceps* et filius illius *Otto M.* patriam
 „ ex furore et faucibus barbari hostis eripuissent et cla-
 „ dibus, illi passim illatis, aduersus iniurias et inua-
 „ siones truculentas vindicassent. Imo demum rede-
 „ gissent illos, nouo iure ac instituto, sub obsequium
 „ et ditionem regni Germanici, perpetuo vinculo ac ne-
 „ xu. Quod iterum deuicti, non tam stirpi victoris
 „ adscripti sint, quam illius regno ac populo, cuius
 „ viribus et impensis bella ideo gesta sunt. Cum ratio
 „ et natura iubeat (m) redundare in illos commoda, et
 „ „ com-

T

(m) „ Est illud axioma iuris naturalis: *Si quos POPVLOS rex BELLO*
 „ *quaesuerit, cum eos non sine ciuium SANGVINE ac sudore quaesue-*
 „ *rit, CIVIBVS quaesitos potius credi, quam REGI.* Contra di-
 „ cendum: si rex exercitum aluerit ex sua propria substantia.
 „ Quod argumentum tractat *H. GROTIVS de iure belli et pacis lib.*
 „ *I. cap. 3. § 12. n. 3.*

„ compendia belli, qui incommoda et onera eius per-
 „ tulerunt senseruntque. Ast in *Germanicis bellis* ad-
 „ iuuatur imperans hostenditiis, in imperii matricula
 „ definitis.

§. XXXIX.

„ Etiam de **LOTHARINGIA** est aliquid dicen-
 „ dum docendumque pariter; eandem quoque iura
 „ intellexisse: *quod, stirpe regnatrice, in LVDOVI-*
 „ **CO INFANTE, extincta 913. regni Germanici**
 „ **PROVINCIAE** factae sint sui iuris postliminio. Prin-
 „ cipio illud certum est, **ARNVLVFM**, Germaniae re-
 „ gem, Ludouici infantis patrem, **LOTHARINGIAE**
 „ regnum habuisse sub sua clientela (n). Patet hoc ex
 „ diplomate **ARNVLFI**; quod ex tabulario coenobii S.
 „ **Arnulfi** primus in lucem protulit R. P. **MEVRIS-**
 „ **SIVS** (o) *episcopus Maudarensis*, in quo coenobitis
 „ S. Arnulfi iugera quaedam agrorum donat et conse-
 „ crat, his verbis descripta: *res iuris et proprietatis*
 „ *nostrae; hoc est, in PAGO et COMITATV ME-*
 „ **TENSI seu Scarponensi in villa, quae dicitur ARCS**
 „ **mansos REGALES decem ad communem substantiam**
 „ **victus**

(n) „ Frustra in aduersum eunte cum Gallis, *Henrico VAGEDESIO*
 „ *de Aufrasia* §. 17. Quasi Lotharingia post *Carolomanum*, cesse-
 „ rit iterum Gallis.

(o) „ *A son histoire des Eueques de l'Eglise de METZ* libro III. in *epi-*
 „ *scopo* 43. p. 292. Qui liber, cum raro profert, licet instructus
 „ fit pulcherrimo diplomatum adparatu, integrum intra exscribe-
 „ mus: *In nomine sanctae et indiuiduae trinitatis. ARNVLVVS,*
 „ *diuina fauente gratia, REX. Quicquid enim locis, diurno cultu*
 „ *mancipatis atque in his domino deuotis mentibus, famulantibus et*
 „ *quae sequuntur, in appendice exhibenda.*

„ *victus canonicorum monasterii*, concessimus an. 892.
 „ Cum enim in *Mesensi tractu* DOMANIA habuerit
 „ Germaniae rex: nemo poterit tum de subiecta *Ger-*
 „ *maniae Lotharingia* dubitare. Quid? quod etiam
 „ idem *Arnulfus* rex an. 895. *Lotharingis* filium suum
 „ *naturalem* dederit ducem ac dominum, cui nomen
 „ ZWENDEBOLDI (p). Cui quinquennio post an.
 „ 900. GISELBERTVS successit, offensi a Zwenteboldo
 „ consiliarii sui, *Rachineri* filius idque populi
 „ *Lotharingici* suffragiis (q). Ille igitur, Ludouico
 „ „ infan-

T 2

(p) „ Idque consensu ordinum imperii in comitiis WORMATIEN-
 „ TIBVS an. 895. Quod plene describit REGINO ad h. a. *Post-*
 „ *haec* ARNVLFS WORMATIAM venit ibique OPTIMATI-
 „ BVS, ex omnibus REGNIS, suae DITIONIS subiectis, sibi oc-
 „ currentibus, conuentum PVBLICVM celebravit. In quo conuen-
 „ tu, omnibus ADSENTIENTIBVS atque collaudantibus, ZVN-
 „ DIBOLCH regno LOTHAM praefecit. Idem recenset post,
 „ quod *Zundibold* REGINARIVM, ex proceribus LOTHARIN-
 „ GIAE et suis consiliariis, destituerit dignitate ac bonis. Vnde of-
 „ fensam procerum et intestina bella, in quibus occisus sit *Zwen-*
 „ *deboldus* an. 900. Aliis *Zundiblochus* audit, vti fieri solet in bar-
 „ baris verbis, quale hoc erat *Venedum et Bohemum*, adsumtum
 „ in gratiam Bohemiae ducis, *patri* illius in sacra initiatione ba-
 „ ptismi christiani. In quibus turbis LOTHARINGIAE ordines
 „ implorauerunt auxilium LVDOVICI *infantis* et consecuti sunt illud.
 „ Claro argumento, *Lotharingiam*, spontanea iterum deditioe
 „ se addixisse CAROLINGIS, regibus Germaniae. Num ideo
 „ etiam regno? Dubitat *Herm. VAGEDES de regno Austrasiae* §.
 „ 19. adfirmat hoc fidenter SCHVRTZFLEISCHIVS *de regno*
 „ *Austras.* cap. 2. §. 20.

(q) „ Post enim, quam ZWENDEBOLDVS, qui patrem RACHINE-
 „ RVN destituerat dignitate et bonis, an. 900. fuisset in proelio
 „ occisus; in partes iuerant *Lotharingiae* ordines. Aliis se addi-
 „ centibus GALLIS; contra LVDOVICQ INFANTI aliis. Et
 „ „ qui-

„ infante an. 913. extincto, cum Arnulfo Boio idem tra-
 „ ctavit problema: *utrum Lotharingiam auelleret a*
 „ *Germanico imperio?* an vero e re sua et Lotharingo-
 „ rum esset, *persistere in Germanica clientela, sub*
 „ *nono REGE CVNRADO (r)?* Vltimum voluerat
 „ CVNRADVS I. verum GISELBERTO primum vi-
 „ , deba-

„ quidem vltimo, qua *regi Carolingico* in Germania partim; par-
 „ tim etiam qua *Zwentiboldi* ducis, vt putant, *fratri*, heredi.
 „ Quod vltimum tamen iudicium est corruptissimum: quod *feudi*
 „ successio nulla *agnatis in feudum primo acquirentis vasalli*. Igi-
 „ tur *feudi aperti* potius lege vti potuit *LVDOVICVS insans* ad
 „ coniungendum *directum* dominium cum *vtili*, extincto vasallo
 „ *Zwentiboldo*. Barbarae iurisprudentiae verbo dicimus CONSO-
 „ LIDATIONEM. Qua luce perfundi debent ea, quae habet
 „ *SCHVRTZFLEISCHIVS de Aufrasia cap. 2. §. 20*. Illud certum
 „ est, *Zwentiboldo* successisse *GISELBERTVM* siue ordinum
 „ Lotharingiae suffragio quod pater, inter *Lotharingiae* proceres
 „ et principes potentissimus; siue *Germaniae* aut *Galliae* volunta-
 „ te et inauguratione; illud quidem valde est dubium. Quod si-
 „ leant in his coaevi et recentiores scriptores vtantur coniecturis.
 „ Imo *ROSIERVS in stemmatibus Lotharingiae* illudat historiae
 „ commentitiis suis diplomatibus, quasi *REGNERVS* aut *RACHI-*
 „ *NERVS* fuerit totius *Lotharingiae* dux successeritque illi filius
 „ *GISELBERTVS* iure hereditario et stemma eius vere sit *Troia-*
 „ *num*. Si verum est, quod *Rosierus* ob falsi haec crimina vlti-
 „ mo supplicio est punitus: certe dolendum illud, quod exem-
 „ pla quaedam huius libri effugerint rogam. Quo illa digniora
 „ sunt, quam lectu.

(r) „ Quod *CVNRADVS R.* vt alias *Germaniae prouincias*; ita *Lo-*
 „ *tharingiam* quoque vocauerit in ius requisieritque; contra ob-
 „ stiterit ei in *Lotharingia GISELBERTVS* dux, illud quidem est
 „ testatissimum annalibus coaevus. Ex quibus etiam illud patet,
 „ *CVNRADVM R.* huic bello fuisse immortuum; *GISELBERTO*
 „ superstiti victore. Causae tamen disceptationis ac belli, ab
 „ aliis atque aliis proditae sunt, iudicio corrupto diuersoque. Nam

„ GI-

„ debatur conducibilis (s). Inde multa cruentaque
 „ bella CVNRADI I. et GISELBERTI. Quae, pri-
 „ mo mortuo an. 918. cum HENRICVS *auceps*, conti-
 „ nuaret: dedit se Lotharingia in Galliae regis, CA-
 „ ROLI *simplicis* clientelam. Cui illam eripuit HEN-
 „ RICVS *auceps* atque *Lotharingiam* vniuersam in-
 T 3 „ nexuit

„ GISELBERTO triplex arena ad decertandum. Primum de
 „ *Germaniae regno*; tum de DVCATV Lotharingiae habendo vel
 „ sub nexu Germanicae clientelae vel cum imperio omni. Ulti-
 „ mum, credibile est, sibi adrogauisse GISELBERTVM; quod,
 „ *stirpe Carolingica* extincta, esset *Lotharingia* vel SVI IVRIS
 „ vel ad Carolingos in *Galliae* regno hereditarie delata. Neque
 „ habebat porro aliquid commune cum Germanis. Quibus ar-
 „ gutiis vitur aperte MEVRISIVS *lib. III. episcoporum Meten-*
 „ *sum 43. pag. 293.* Sed ille tribuit bella haec RACHINGERO
 „ patri dicitque hunc Lotharingiae ducem ideo dedisse se in Gal-
 „ liae regis, *Caroli simplicis tutelam*. Cuius etiam diplomata
 „ plura scripta sunt in *Lotharingiae* finibus; quae congeffit VA-
 „ GEDES *de Austrasia §. 17.*

(s) „ Eunt igitur hic in partes *Germanici* et *Francici* scriptores.
 „ PRIMI putant *Lotharingiam*, *Germanico regno*, innexam.
 „ Quapropter GISELBERTVS dux fuerit perfidus ac perduellis,
 „ quod extincta Carolingica stirpe agnoscere noluerit *Cunradum I.*
 „ *regem suum*. Ita WITTEKINDVS; DIETMARVS; LVIT-
 „ PRANDVS; SIGEBERTVS atque ex recentioribus SCHVRZ-
 „ FLEISCHIVS et omnes Germani. Quod etiam potest defendi
 „ rationibus. Quoniam LOTHARINGIA se, deditioe sponta-
 „ nea, subiecerit *Germanis*, non regibus Germaniae; deinde et-
 „ iam implorauerit multoties auxilia Germanorum aduersus Gal-
 „ liam; demum esset illud aequissimum; vt, quae bellis Ger-
 „ manorum vel parata sint vel defensa, cedant *Germaniae corpori*
 „ non *regibus* solis. Quorsum conferre licet, quae habent CHI-
 „ PLETIVS nosque in *LOTHARINGIA vindicata aduersus in-*
 „ *urias Gallorum tom. I. miscellor. lib. I. opusculo 4. §. 8. p. 347.*
 „ Contra GALLICI auctores perhibent, stirpe Carolingica in
 „ Ger-

- ” nexuit *Germanico imperio* (t). Ne postea casu vlllo
 ” aut regis socordia et negligentia posset, de corpore
 ” et systemate Germanici imperii abstrahi et auelli (u).

§. XL.

-
- ” Germanis extincta, LOTHARINGIAM ipso iure deuolutam ad
 ” *Carolingos Gallos* et regem eorum *Carolus simplicem*, qui etiam
 ” in Lotharingiae locis tum, qua rex Lotharingiae, scripsit di-
 ” plomata. Quae recitant MEVRISIVS; ROSIERVS; BLON-
 ” DELLVS atque ex nostratibus VAGEDESIVS.
- (t) ” Facile fuerat HENRICO *aucupi*, ad reducendam *Lotharingiam*
 ” *ad Germani regni obsequium*. Nam primo *Carolus simplex*,
 ” *Galliae rex*, in bellis intestinis opem implorauit auxiliaque Hen-
 ” rici aucupis obtinuitque illa spe: *ut nuntium mitteret Lotharin-*
 ” *giae, Germaniae iterum vniendae*. Quod claris verbis prodit a-
 ” gnoscitque MEVRISIVS *in episcopo Metensium* 43. p. 291. 292.
 ” qui meretur legi, quod fuerit Gallus. Deinde etiam facilem
 ” inuenit ipsam LOTHARINGIAE *ducem* GISELBERTVM. Par-
 ” tium, quod ille pristini iuris Germanici iterum fieret inemor;
 ” partim, quod diffiteret suis viribus; partim denique, quod
 ” Caroli simplicis exemplum inallet sequi, quam expectare ex-
 ” trema; partim, quod Henricus auceps ei sponderet filiam da-
 ” retque in matrimonium, Girbergam nomine, quam alii Gislam
 ” dicunt, ne posset socero, quod vellet negare. Inde igitur LO-
 ” THARINGIAM beneficiario nexu tenuit GISELBERTVS. Qui
 ” post XXXIV. regnum annorum et gubernacula, periit in Rhe-
 ” no fluuio naue submersa an. 946. Vitam GISELBERTI, vni-
 ” uersae *Lotharingiae* ducis praepotentis et diuturni scripsit RO-
 ” SIERVS *in stemmatum Lotharingiae tom. III. historia capitali*
 ” 57. p. 187. 188. 199.
- (u) ” Repetenda sunt, quae de LOTHARINGIA, hoc iure *Germa-*
 ” *nico regno* vindicata, habent CHIFLETIVS; SCHVRTZFLEI-
 ” SCHIVS; commentatores MONZAMBANI; nosque in mi-
 ” scellis. Contra pro *Gallis* scenam suam instruunt BLONDEL-
 ” LVS; MEVRISIVS; ROSIERVS; PVTEANVS; CASSA-
 ” NVS; VAGEDESIVS, Rintelenis historicus. Neque enim,
 ” quae post euenerunt, sunt instituti huius.

§. XL.

„ Habes itaque DIVINVM quendam tot gen-
 „ tium, populorum et rerumpublicarum CONSEN-
 „ SVM et CONCENTVM vnanimem in nobis pro-
 „ bato dogmate: *Germaniae prouincias, victrix stir-*
 „ *pe Carolingica extincta, factas esse sui iuris et eman-*
 „ *cipatas in plenam libertatem.* Haec enim vox, pro-
 „ bauimus singula figillatim, fuerat Germaniae tum
 „ vniuersae SVEVORVM; BOIORVM; SAXONVM; THV-
 „ RINGORVM; VENEDORVM; BOHEMORVM; intra
 „ Germaniae limites. Idem ex eodem collo ac voce ea-
 „ dem contenderunt HVNGARI; DANI; LOTHARINGE
 „ maxime, populi Germanico regno clientelares.
 „ Quod cum ita sit, ita autem esse, docuimus ideo
 „ amplioribus verbis, vt iam non opus porro sit, vti
 „ praesumptionibus et argutiis. In quibus illud non in-
 „ firmum meretur locum: quod *regna electio iure*
 „ *delata* fidem habeant mereanturque imperii non nisi
 „ adducti et constricti limitibus. Praeclare et ex in-
 „ dole humani ingenii H. GROTIUS (x): *At in re-*
 „ *gnis, quae POPVLI VOLVNTATE delata sunt,*
 „ *concedo non esse praesumendam, eam fuisse POPVLI*
 „ *VOLVNTATEM, vt alienatio imperii sui regi per-*
 „ *mitteretur.* Et PVFENDORFIVS (y): *ubi rex*
 „ *„ vitro*

(x) „ *Lib. I. de iure belli et pacis c. 3. §. 13. n. 1.* Neque est, vt quis
 „ opponat, distinguere tum Grotium, modos *succedendi*, a mo-
 „ dis *habendi*. Nam de hoc: posse etiam *electione* conferri impe-
 „ rium absolutum, vt Romae. Sed requiritur hic: quid *praesu-*
 „ *mendum* in dubio?

(y) „ *Lib. VII. iuris natur. c. 6. §. 17.* Inde HOBBSIVS c. VII. *de*
 „ *ciue mortuo electio rege; consolidatur imperium in populo vel*
 „ *principibus.* Habentibus summam rerum in suos.

„ *ultro a populo adsciscitur: ibi singuli de suis iuribus*
 „ *omnia sibi reseruasae praesumuntur, quae quidem*
 „ *cum natura ciuitatis consistere possunt. Adeoque qua*
 „ **CONDITIONE** *in hisce regnis ciues uiuant: non*
 „ *tam a regis, quam ipsorum ciuium arbitrio pendet.*
 „ *Ex quo igitur victrix in Germania stirps regalis Ca-*
 „ *rolingica exaruit, ex eo rerum summa rediit ad po-*
 „ *pulos singulos idque sigillatim, ex quibus Francorum*
 „ *bellis, Germanici regni corpus ac systema olim con-*
 „ *flatum. Quorum in arbitrio fuerat; colere statum*
 „ *popularem, Heluetiis similem vel eligere sibi ac sta-*
 „ *tuere principem; qui conferret se post in regis Ger-*
 „ *maniae clientelam. Quod vltimum accepisse et se-*
 „ *cutas esse Germaniae prouincias omnes: hoc loqui-*
 „ *tur historia, a nobis laudata passim.*

§. XLI.

„ *Vti vero illud est omnino credibile; si quidem*
 „ *regnum Germaniae deferre voluissent ordines sub*
 „ **CAROLINGICA FORMVLA**, *pristina; delatum il-*
 „ *lud tum fuisse, iure hereditario et successiuo, non*
 „ *temporario ad vitae dies regis vnus. Quod vlti-*
 „ *imum cum factum sit, facile est ad intelligendum*
 „ *causam veram; ne scilicet rex aliquis, familiae et*
 „ *stirpis fiducia, vel DOMINATVM adfectaret vni-*
 „ *uersim vel PRINCIPES exueret prouinciis. Non*
 „ *nescio; esse aliquos, qui hodieque ambigant; num*
 „ *Henrici aucupis electio fuerit temporaria? an suc-*
 „ *cessiua potius in familia et posteris? Verum eximam*
 „ *rem omni dubitatione idque confessione ipsius OT-*
 „ **TONIS M.** *in diplomate anno 937. concepto: quod*
 „ *inte-*

„ integrum damus in infima cera (z). Nam ponit in
 „ eo imperator casum: *si alter e populo eligatur rex,*
 „ *praeteritis suae generationis principibus ac posteris.*
 „ Quod testimonium cum sit *Caesaris ipsius* idque in se,
 „ haud dubie maius est vlla exceptione.

Argu-

(z) „ Est quidem diploma hoc, quod sequitur verbatim. *In nomine*
 „ *sanctae et individuae trinitatis.* OTTO, diuina fauente clementia
 „ *rex nouerint omnes FIDELES NOSTRI, tam praesentes, quam etiam*
 „ *et futuri, qualiter nos, ob amorem DEI omnium sanctorum, et pro re-*
 „ *medio ANIMAE nostrae atque PARENTVM SVCCESSORVMque no-*
 „ *strorum, congregationem sanctimonialium in QVINDILINGE-*
 „ *BVRG statuere curauimus. Quatenus ibidem laus omnipotentis*
 „ *DEI eiusque ELECTORVM ab ea in perpetuum colatur, et no-*
 „ *stri nostrorumque omnium memoria perpetuetur. Et et idem*
 „ *conuentus illic ceptum famulatum obtineat, urbem in QVED-*
 „ *LINGOBVRG supra montem constructam cum Curtilibus et*
 „ *cunctis aedificiis inibi constructis, et quicquid clericis in eodem*
 „ *loco DOMINO seruientibus prius concessum habuimus, et nouam*
 „ *partem ex omni collaboratu eiusdem curtis. Similiter et in locis*
 „ *subnotatis MORSELEVO, HARPKERODA, VINGHVSEN,*
 „ *VTISLEVO, RVDIBVRGI, BVDIBVRGI, BRVCOLSTE-*
 „ *DI, SODENHVSI, MVLINGA, WADISLEVO, BEIN-*
 „ *DORPE, SALBETSE, WESTRAHVSE, nec non et totum,*
 „ *quicquid in locis sic nuncupatis, REDERI, HEBENROTHAE,*
 „ *OREHVN; proprietatis habere huc vsque visum sumus, atque*
 „ *QVERNBEKH cum sylua grassiori et territorio de eadem villa e-*
 „ *narrato, et in VRASO familias SGLAVONICAS XV. et to-*
 „ *tidem in CALVO, ad decimam partem in ROFFELDEN et SIPPENFEL-*
 „ *DON et omni venatione in INGELHEIM. videlicet de VINEIS ad car-*
 „ *rudas X. de melle vero situlas maiores XL. nostrae maiestati sin-*
 „ *gulis annis persoluendos, ad eius victum et vestitum, perpe-*
 „ *tuo iure possidendum, donauimus. Monasterium itaque WINE-*
 „ *THAHVSVM nuncupatum situm in pago HARTHAGAO in co-*
 „ *nnitia THIADMARI cum omnibus quae sanctimoniales ibidem*
 „ *antea in suum habuerunt seruitium, praedictae congregationi in*
 „ *QVIDELINGOBVRG in proprietatem condonamus, et Curtem*

V

„ Salta

Argumentum II.

- „ VICTRICE in Germania stirpe CAROLIN-
 „ GICA extincta in LVDOVICO infante anno 903.
 „ SVMMA rerum Germaniae rediit ad POPVLOS.
 „ Quorum in arbitrato fuerat: quam quisque sequi vellet
 „ FOR-

„ Salta situm in pago LAINGA in comitatu LVIDGERI, cum v-
 „ niuersis ad eandem Curtem iure pertinentibus, hoc est familiis
 „ ac mancipiis, Curtibus et Curtibus aedificiis, terris cultis et
 „ incultis, agris, pratis, pascuis, syluis, aquis, aqua-
 „ rumque decursibus, molendinis, viis et inuis, exitibus ac re-
 „ ditibus, quaesitis ac inquirendis, mobilibus et immobilibus, et
 „ quicquid hereditatis acquireret mater BARDONIS domino et
 „ genitori nostro beatae memoriae HENRICO, serenissimo regi,
 „ cum praefato loco SALTA in proprietatem condonauit, ex inte-
 „ gro totum illi in proprium concessimus, et, SI ALIQUIS GE-
 „ NERATIONIS NOSTRAE IN FRANCIAE ET SAXO-
 „ NIAE REGALEM POTESTATIVA MANU POSSEDEAT
 „ SEDEM, IN ILLIVS POTESTATE SINT AC DEFENSIO-
 „ NE PRAENVCVPATVM MONASTERIVM ET SANCTI-
 „ MONIALES INIBI, IN DEI SERVITIO CONGREGA-
 „ TAE. SI AVTEM ALTER E POPVLO ELIGATUR REX,
 „ ipse in eis suam regalem teneat potestatem, sicut in coeteris Ca-
 „ teruis in obsequium sanctae trinitatis simili modo congregatis.
 „ NOSTRAE namque COGNATIONIS qui POTENTISSIMVS
 „ SIT, ADVOCATVS habeatur et loci praedicti et eiusdem cater-
 „ vae. His itaque actis, vt liberam inter se ELIGENDI AB-
 „ BATISSAM vltterius habeant potestatem, concessimus, ea vide-
 „ licet ratione, vt nulli hominum vnquam, nisi tantum nobis no-
 „ strisque successoribus, obtemperet, aut quodlibet regum aut Epi-
 „ scoporum personae aliquod seruitium ab ea impendatur. Iussimus
 „ quoque hoc praeceptum nostrae largitionis inde conscribi, firmi-
 „ ter praecipientes, quatenus eadem caterua de praelibatis rebus
 „ ab hodierno die ac deinceps tali fruatur potestate, sicut et coete-
 „ rae sanctimoniales foeminae, quod simili modo a regibus seu cae-
 „ teris fidelibus ad Dei seruitium constructae videntur. Et vt
 „ haec

„ FORMVLAM REIPVBLICAE. Placuit singulis
 „ PRINCIPATVS PECVLIARIS, isque hereditarius,
 „ principali FAMILIAE adscriptus. Sed talis; qui
 „ tamen in clientelari NEXV obsequioque persisteret
 „ REGNI GERMANICI. Instar membrorum pluri-
 „ vm in corpore ac capite. Hoc iure vsi sunt SVEVI
 „ in Burkardo, BOII in Arnoldo; THVRINGI et SA-
 „ XONES in Ottone; LOTHARINGI in Gifelberto,
 „ vno omnes consensu concentuque diuino propemo-
 „ dum. Vnde tot Germaniae rerumpublicarum et
 „ PRINCIPATVVM singularium initia; quot illius
 „ olim *populi et prouinciae*. Continuato OCTO SE-
 „ CVLORVM vsu adhuc, sine vlla conuersione aut
 „ metamorphosi. Quae etiam *iurium publicorum VE-*
 „ TVSTAS et, sibi ipsi congruens, HARMONIA;
 „ imperio nostro praesagire ac polliceri videtur AE-
 „ TERNITATEM.

Probatio. §. XLII.

„ IN PRIMO Argumento potissimum respeximus eo:
 „ *quod imperatoris in uniuersa Germania potestas non*
 „ *immensa; sed temperata ordinum auctoritate consen-*
 „ *suque comitali.* Quoniam *electitia* regna, praefer-
 „ tim

V 2

„ haec nostrae concessionis auctoritas a fidelibus nostris credatur,
 „ ac per succedentium temporum curricula diligentius obserueture
 „ manu propria nostra eam firmauimus annulique nostri impressione,
 „ sigillari iussimus. (Otto Dei gratia rex) SIGNVM DN. OT-
 „ TONIS IOI sereniss. regis. ADELTAG, Cancellarius ad vi-
 „ cem HILTEBERTI ARCHICAPELLANI recognoui. Dat. 10.
 „ Sept. anno dominicae incarnationis DCCCCXXXVII. indictione
 „ IX. anno vero Domini Ottonis inuictissimi Regis I. actum in
 „ QVIDLINGOVBURG in Dei nomine feliciter amen.

„ tim temporaria, collataque ad vitae dies tantum,
 „ credi debeant *adducta* et *constricta* limitibus. Quam
 „ etiam *formulam* amplexa sit Germania principio sta-
 „ tim sitque tuta illam semper deinceps. Succedit nunc
 „ argumenti **SECUNDI** finis: qui est hic. Stirpe Ca-
 „ rolingica extincta, *sui* etiam *iuris* factos esse Ger-
 „ maniae **POPULOS** quosque. Ut penes se esset de-
 „ finitio eorum, quae sequuntur. Primo quidem:
 „ num *regem* *vellent*, *uniuersae Germaniae commu-*
 „ *nem*? Deinde, *num huic deferenda potestas abso-*
 „ *luta*, an *constricta* pactis, legibus, limitibus? An-
 „ te autem; quam responderetur hoc problema; qui-
 „ libet **POPVLVS** sibi fecit constituitque **PRINCIPEM**
 „ **SINGVLAREM**, dominum ac ducem *territorialem*
 „ cum potentatu. Quod nos docuit superius historia.
 „ Itaque **PRINCIPATVS GERMANIAE** singulares
 „ *vetustiores* sunt ipso *regno*, id est, coacto plurium
 „ *principalium systemate* ac corpore sub vnum **CA-**
 „ **PVT**. Causae **REGNI** communis prouinciae sunt
 „ ac *principes* singulares; non **REX** principum. Sum-
 „ matim iuris publici *causae* sunt *principes* Germa-
 „ niae: *causatum rex et regnum*. Quod si est, esse
 „ autem illud, hoc supra §. 14. p. 69. sq. probauimus:
 „ *principes* Germaniae *potestatem* suam *populo* debent;
 „ *rex* suam *principibus* et *populo*, *platis* et *archite-*
 „ *ctis* nouae formulae veteris Germaniae. Accedit
 „ praeterea etiam hoc. Quod prouinciae Germaniae,
 „ in *ducibus*, a se *constitutis*, resuscitarunt pristinam
 „ formam. Vti enim **SVEVI**; **BOII**; **THVRINGI**;
 „ **LOTHARINGII**; **VENEDI** olim, ante quam a
 „ Francis subigerentur, *vsq* sunt *monarchis* ac *regi-*
 „ *bus*:

„ *bus*: ita, pristinae formulae memores, repeterunt
 „ eandem denuo. Vt respublica non tam nata esse
 „ videretur; quam instaurata et restituta, quadam a-
 „ nastasi. Quod autem nouum fuerat, fuerat *nexus*
 „ et *clientela* erga imperium commune. In quo olim
 „ populi Germaniae non constitere.

§. XLIII.

„ Hactenus GERMANIAE PRINCIPIS *iura*
 „ attigimus et *historiam*, firmatam testimoniis coae-
 „ vorum scriptorum. Sequuntur nunc magnorum
 „ virorum iudicia et sententiae, nostrae doctrinae con-
 „ cinna. Non, quasi illorum auctoritati aliquid de-
 „ mus in rebus et historiis vetustis: sed vt nostra libe-
 „ remus a suspitione cum NOVITATIS; tum nimie-
 „ tatis in PRINCIPLE GERMANIA. Facem prae-
 „ ferat huic veritati *L. B. de COCCII in iurispubl.*
 „ *prud. cap. XV. sect. 3. §. 43. p. 285.* vbi ratiocinatur
 „ verbis, quae sequuntur: *Sub CAROLINGIS omnis*
 „ *PROCERVVM* (ducum, comitum, principum) *po-*
 „ *testas mere administrativa fuit. Quae ad id FA-*
 „ *STIGII, in quo nunc est, bis GRADIBVS peruenit.*
 „ *EXTINCTIS CAROLINGIS, cum videretur RED-*
 „ *DITA POTESTAS* (septem populis ac prouinciis
 „ Germaniae, vt supra ostensum re ipsa) *quam SIN-*
 „ *GVLI POPVLI atque prouinciae* (Germaniae) *ante*
 „ *FRANCORVM victorias habuerant* (Chlodouaei,
 „ Theodorici, Pipini, Caroli M.): *PLACVIT* (et
 „ quidem iure postliminii) *vt singulae prouinciae sub*
 „ *DVCIBVS suis, salua maiestate REGIS et REGNI,*
 „ *haberent PROPRIAM potestatem* (cum ante fuisset
 „ pre-

„ precaria et administrativa) *et iura REGALIA.*
 „ Hactenus illustris COCCEIVS neque unum quo
 „ potest esse similis, quam COCCEIANVM dogma
 „ LVDEWIGIANO. Ut satis pateat inde, quae fides
 „ habenda istis gerronibus, graculis nostris: quasi ab
 „ ipso dissentiremus toto coelo. Potius illud est di-
 „ cendum: quod non explicet Cocceiana; sed nuge-
 „ tur, ludat, fallatque tempus inanibus commentis;
 „ nisi in *iuribus postcarolingicis* nobiscum sentiat idem.
 „ Quod si COCCEIANVM nomen, est quantum in Ger-
 „ mania! non satis est ad tuendam *Germaniae prin-*
 „ *cipis* vetustatem: addo iuris publici consultum, suo
 „ aevo principem, *Cancellarium Halberstadiensem,*
 „ *Tobiam PAVRMEISTERVM,* cuius *lib. I. de iuris-*
 „ *dict. cap. V. n. 46.* sententia de *iurisdictionis* terri-
 „ torialis origine genuina, est quidem haec: CARO-
 „ LI M. *posteritate EXTINGTA utramque gentem*
 „ (Romanos et Germanos) *et alios, ad imperium Ro-*
 „ *manum pertinentes populos, ad PRISTINAM LI-*
 „ *BERTATEM reuertisse. Ex eoque tempore, con-*
 „ *stituta aristocratica gubernandi ratione, imperatori*
 „ *non πανβασιλεία, multo minus dominatus, numeris*
 „ *omnibus ABSOLVTVS: sed βασιλεία κατὰ νόμον, id*
 „ *est principatus, certis LEGIBVS definitus, conces-*
 „ *sus est. Ac licet ea, quae olim de POTESTATE*
 „ *principum Romanorum absoluta in LL. antiquis, post*
 „ *mutatam reipublicae formam, expresse antiquata*
 „ *non sint: notoria tamen CONSUVTDINE contra-*
 „ *rium est INTRODVCTVM.* Et MORIBVS in re-
 „ publica tribuendum est omne punctum. Post iure-
 „ consultos, audiemus etiam historicum, grauem et
 „ „ si-

„ fidedignum. Qui tamen maioris fieri debet in nar-
 „ ratione, quam in iudicio ac censu, vltra illius sphae-
 „ ram. Est ille *Nicolaus SCHATEN in annal. Pader-*
 „ *born. lib. III. ad on. 913. p. 246.* Vbi verba eius sunt
 „ haec: *Haecenus dum CAESARES et REGES ex*
 „ *Caroli M. stirpe Germaniae imperitabant ex heredi-*
 „ *taria possessione; DVCES omnes et COMITES TEM-*
 „ *PORANEO Caesarum ac regum BENEFICIO.*
 „ *Postquam vero, cum LVDOVICO rege, EXTIN-*
 „ *CTA CAROLINGICA stirps: SINGVLI prope DV-*
 „ *CES eas, quas tenebant prouincias, sibi heredita-*
 „ *rias, suprema principum POTESTATE, vin-*
 „ *dicare coeperunt. Tanquam Germaniae regnum im-*
 „ *periumque in spoliũ (crassae mineruae iudiciũ)*
 „ *venisset. Haud secus, quam ALEXANDRO M. ex-*
 „ *tincto, duces militiae inter se regna sunt partiti.*
 „ *Eo et Cunradus rex tanta, ceterorum DVCVM ae-*
 „ *mulatione petitus. DVCVM exemplo etiam COMI-*
 „ *TES (quod factum est, quia diu euenit post, pro-*
 „ *uinciis ducum discerptis in partes) se hereditarios*
 „ *ferre coeperunt. Quod idem postea Galliae factum,*
 „ *EXTINCTA istic CAROLINA stirpe: Quod vl-*
 „ *timum quidem verum est, testatissimum scriptori-*
 „ *bus Gallis, BLENGERO de offic. regni Gall. p. 9.*
 „ *LOYSEAV des Seigneur. cap. V. n. 37. sed collatio*
 „ *cum Germanicis ducibus in principe Germania, est*
 „ *quidem iniquissima indignissimaque. Galliae enim*
 „ *duces, adrogantes sibi potentatum, fuere perduel-*
 „ *les ac perfidi proptereaque post a regibus Galliae ite-*
 „ *rum extincti et perdit; contra princeps Germania*
 „ *nostra, secundum iuris publici ordinem, accepit*

„ na-

„ natales, adoleuit seruataque aetatem firmam ac sta-
 „ bilem etiam nunc. Possem etiam *Germaniae prin-*
 „ *cipis*, ob Carolingicam stirpem extinctam, laudare
 „ patronos alios veteres, medios et nouissimos: qua-
 „ les sunt *Beat. RHENANVS lib. II. de statu Germa-*
 „ *niae sub Saxonibus p. 323 KNICHEN; EYBEN de*
 „ *edicto, idem, quod imperator potest, potest prin-*
 „ *ceps in suo territorio. LEHMANNVS lib. V. cap.*
 „ *I. CONRINGIVS de ducib. Germ. §. 21. quod ma-*
 „ *gis est, etiam dicere illud, quod iureconsulti Ger-*
 „ *maniae hoc idem dogma propugnauerint in supre-*
 „ *mis imperii tribunalibus, vti exemplis hoc intelli-*
 „ *gitur GOEDAEI in tom. IV. Marpurg. concil. 37. n. 41.*
 „ *42. 43. KLOCKII de contribut. cap. IV. n. 135. ABEIN-*
 „ *SIEDEL de regal. c. vlt. n. 17. aliorumque plurium:*
 „ sed dubito, horum testimonia conducere ac conglo-
 „ merare. Partim, ne videar, in multitudine ita sen-
 „ tentium, quaerere aliquod praesidium; partim, quod
 „ veterani illi viderint quidem rem; sed ignorauerint
 „ rei iura causasque, nobis in hoc prodromo tam cla-
 „ re definitas, vt pudeat, alieno hic vti patrocinio.
 „ Illud tamen admoneat auditores; quam male consu-
 „ lant *Germaniae principi* nostrae antecessores, qui
 „ *veras, iustas, vsuque probatas origines principum*
 „ *in Germania potentius* ignorare malunt, in tanta
 „ historiae luce, studio vel nouandi vel scribendi ad
 „ aliorum sensus, quam discere illas et docere. Imo,
 „ quam mendacissimi illi sint gerrones: qui *Germa-*
 „ *niam principem*, tam vetustam et testatam omni ae-
 „ vo, incusare audeant alicuius insolentiae et nouitatis.
 „ Sed forte interest eorum: *falli et fallere in his do-*
 „ *gma-*

„ gmatibus peruersis et immori buic liti, contentionis
 „ ferram, & lucri ergo, trabendo nunquam non.

§. XLIV.

„ Grauius longetestimonium: *extincta stirpe CA-*
 „ *ROLINA, Germaniam gubernatam fuisse a REGI-*
 „ *BVS in PRINCIPVM Germaniae societate et coim-*
 „ *perio, dant quidem DIPLOMATA plenae fidei. Nam*
 „ *vti plures fuere, qui cogitauere de criticis axioma-*
 „ *tibus, quibus DIPLOMATA genuina a falsis et sup-*
 „ *posititiis possint distingui; atque hinc inuicem di-*
 „ *sceptauerint iterum acriter, quae regula falleret,*
 „ *quaeue sustineret lapidem Lydium, exemplis HEN-*
 „ *SCHENII (a) Dan. PAPEPROCHII (b); Ioan. MA-*
 „ *BILLONII (c); Gregorii HICKESII (d); GER-*
 „ *MONII (e); RVINARTII (f); Iob. PERESII (g);*
 „ *de la CROZE (h); FONTANINI (i); HER-*
 „ ZII

- (a) „ In libro *de tribus Dagobertis* edit. 1655. 5. Meliori ad necten-
 „ dos nodos, quam dissoluedos.
- (b) „ In *PROPYLAEO antiquario circa veri et falsi discrimen in tom.*
 „ *II. actor. SS. mensis April. 1675.*
- (c) „ *de re diplomat. lib. II. c. 1. p. 218. 219. 220.*
- (d) „ In *praefatione SEPTENTRIONALIVM linguarum thesauri*
 „ *grammatico critici tom. I. Oxoniae 1705. f.*
- (e) „ In *disceptatione* an. 1703. aduersus Mabilionium.
- (f) „ In *scripto aduersus Germonium, in gratiam Mabilionii.*
- (g) „ *Hispani et Monachi Benedictini pro fide diplomatum, 1688.*
- (h) „ In *vindiciis* vet. scriptor. p. 67. sq. magno *literarum* adparatu et
 „ *iudicii acumine* scriptis.
- (i) „ In *vindiciis antiquorum DIPLOMATVM aduersus Germonium,*
 „ *Romae 1705. 4t.*

„ ZII (k) aliorumque (l): de hoc tamen iuris publici
 „ axioma dubitavit nullus: DIPLOMATA, quae an-
 „ te extinctam Carolinam stirpem, *mentionem faciant*
 „ *vel principum* vel formulae; *nostro et imperii aut*
 „ *imperii principum consensu*, habenda esse pro SPV-
 „ RIIS, *falsis, suppositis, proscribendaque e PATRIA*
 „ REPUBLICA. Cuius adfert fundamentum, *dipl-*
 „ *maticae rei* scriptoribus laudatis, est obseruatio (m);
 „ sed nobis causa, fons, origo, ratio iuris huius et
 „ radix illuxit innotuitque in illis, quae superius enar-
 „ rata. Quare *Carolinga stirpe* extincta, in curiis et
 „ comitiis Germaniae FORMVLA CODICILLARIS
 „ introducta sit: *nostro, regis, et imperii principum*
 „ *consensu*. Certissimo indicio legitimae metamor-
 „ phoseos et conuersionis in republica: qua nunc de-
 „ mum PRINCIPES Germaniae nati et cooptati in
 „ imperii societatem.

§ XLV.

(k) „ De re *fideque diplomatica* in opusculis.

(l) „ Plura diximus in *tom. I. reliquiarum praefatione* §. 15. 16. 17. 18.
 „ *sq.* Vbi omnium diplomaticorum scriptorum enarratio et cen-
 „ sus, quo singuli aestimandi.

(m) „ Extant *rei diplomaticae* scriptoribus obseruata axioma apud
 „ MABILLONIUM *lib. II. c. 1. p. 218.* concepta his verbis: *lo-*
 „ *quendi modus CVM CONSILIO PRINCIPVM imstitatus est an-*
 „ *te seculum X. quo imperatores PRINCIPES NOSTROS aliquan-*
 „ *do adpellabant.* Et porro p. 220. *omnia diplomata, quibus im-*
 „ *ivs proprium alicui DVCATVS aut COMITATVS confer-*
 „ *tur ante HENRICVM aucupem, falsa sunt.* Iterum p. 221. *Di-*
 „ *plomata falsa sunt, quae ante Henricum aucupem verba habent:*
 „ *principes nostras.* Quae aetas nostra: *principis Germaniae.*

§. XLV.

„ Restarent CRITERIA *Germaniae principis* tum
 „ demum subortae, cum exaruisse Carolina *stirps*,
 „ alia plura facile enumeranda etiam nunc, si illis esset
 „ opus vllatenus. Nam veritas nobis cognita partim
 „ RE *ipsa*, ex principum Germaniae prouinciarum hi-
 „ storia sincera; partim causa ac ratione IVRIS; par-
 „ tim etiam EFFECTV euentuque alius imperii Ger-
 „ manici, vt dementis aut coeci sit, in meridie requi-
 „ rere candelam, faculam, lucernam. Indice digito
 „ attingemus aliqua; probanda facile, si quis hanc
 „ operam a nobis requisierit. Inde enim CVRIA,
 „ non Caesaris aut regis; sed regni et imperii: illius
 „ praefectus non regius aut Caesareus officialis; sed
 „ REGNI vel IMPERII vel ARCHICANCELLA-
 „ RIVS (n): neque is ex hoc aevo TEMPORARIVS;
 „ sed NATVS, instar *legati nati*, in archiepiscopis
 „ Moguntinis (o): laterculus ille sacer non Caesaris
 „ porro; sed ARCHIVVM IMPERII (p) ipsius, di-
 „ X 2 „ stin-

(n) „ MABILLONIVS *lib. II. c. I. p. 218.* vox *archicapellani* pro *ar-*
 „ *chicancellario* inusitata ante seculum *decimum*. Nam Carolini
 „ reges cancellariae praefecere scribas et cancellarios, quos vo-
 „ lyere, iure precario.

(o) „ In *postcarolino* imperio, cum omnia agi et scribi debuerant in
 „ ordinum societate; *cancellarii* munus, imperii nomine, dela-
 „ tum antistiti *Moguntino*. Qui ideo in vtroque nexu simul cum
 „ *imperatoris*, tum *imperii*. Plura in *commentario ad AVREAM*
 „ *BVLLAM tit. 26. §. 2. p. 586. sqq.*

(p) „ Nam vti *tabularium imperiale* est in manu custodiaque *archi-*
 „ *cancellarii*; ita hoc munus sedi *Moguntinae* adfixum fuisse, in-
 „ de a tempore *postcarolino*, hoc docere possunt *matriculae ar-*
 „ *chi-*

„ stinctum et seiunctum a Caesareo. Aulæ CVRIÆ-
 „ que imperialis ADMINISTRI, PALATINVS CO-
 „ mes, non iam praetorio praefectus, vt olim; sed
 „ princeps vicarius imperii. (q) Ceteri CAMERA-
 „ RIVS; MARESCHALLVS; DAPIFER; PINCER-
 „ NA, non precarii administri; sed HEREDITARIJ,
 „ regni causa, constituti. (r) DVCES Germaniae, si
 „ isto officio defungebantur, illud non, vt olim, *vul-*
 „ *gare* erat; sed *singulare* prorsus. Quod HONORIS
 „ causa seruirent quandoque Caesari; vti olim *reges*
 „ fecerant imperatoribus. Quibus illi pares re ipsa. (s)
 „ Sed quis tandem exitus esset horum schematum; si
 „ essent recensenda reliqua omnia sigillatim? Scio HVG.
 „ GROTIJ (t) monitum: *ex schematibus curialibus*

„ non

„ *chicancellariorum* apud ANONYMVM *quinquertii cameraleis c.*
 „ v. et ipsi annales Moguntini.

- (q) „ Quod pariter docere potest *historia Palatina*.
 (r) „ Quod docui plenius ad AVREAM BVLLAM *tit. 27. §. 1.* Nam
 „ inde a tempore *postcarolino subofficiales*, vti hodie audiunt, fa-
 „ cti hereditarii. Quod licet *reges* Germaniae moriantur; persi-
 „ stat tamen *regnum* litque immortale.
 (s) „ Res ipsa est haec, ignorata aliis. De CAROLO M. testatur
 „ MONACHVS SANGALLENSIS: *comedente Carolo M. MINI-*
 „ *STRABANT REGES diuersarum gentium*. Non quod illi re-
 „ ges ideo *officiales* fierent; sed, vt hoc actu, HONORARENT
 „ *Caesarem*, sigillatim. Quid in Ottone M? Huic pariter DVCES
 „ seruisse in mensa et conuictu, ceu aliquid *singulare*, commemo-
 „ rat WITTEKINDVS. Non fuisset memoria dignum; si
 „ quidem *duces officiales* fuissent imperatoris. Cum autem non
 „ fuerint: sed hoc *actu* honorauerint *Caesarem*; ideo fuerat illud
 „ historico notandum. Plura scripsi ad. A. B. *tit. 27. §. 1.* passim.
 (t) „ *Lib. I. c. 3. §. 7.* monitum est salutare: quia saepe mutatur *for-*
 „ *ma* reipublicae; sed retinentur *pristina schemata*. Exemplo fit

„ An-

„ *non esse iudicium ferendum de formula reipublicae.*
 „ Sed etiam scio illud: *formulam regni facilius muta-*
 „ *ri, quam illius schemata.* Ut adeo, vltimis muta-
 „ tis; argumentum sit certissimum, conuersionis in
 „ *modo* ac forma regnandi factae. *Scena mutata; po-*
 „ *fitis vestibus; indumento alio sumto: quis non ex-*
 „ *pectauerit nouum drama aut ludum?* Vti ergo *Fran-*
 „ *cia* obliterauit formulam *Latii*: ita *Francorum* mores,
 „ post *Carolinam* stirpem; migrarunt *Germani.* „

§. XLVI.

His argumentationibus cum pro firmissimis iuris publi-
 ci nostri fundamentis vsus sit LVDEWIGVS: eas plene trans-
 scribere nos oportere, visum est. At nunc alio studio opus
 est, nempe vt easdem excutiamus, eaque sine statum reipu-
 blicae nostrae cum praesentem, tum veterem indagemus.
 Vt autem a praesenti, tamquam certissimo, inchoemus, ad-
 ductam esse Imperatoris potestatem, leges Imperii, (non so-
 la historia,) satis probant: ex quibus, non ex statu Germani-
 ae, qualis extincto LVDOVICO INFANTE, et electo CONRA-
 DO I, fuit, nec ex formula imperii huic delati, for-
 mam et statum reipublicae Germanicae aestimare par-
 est. Nam etsi memoriam status antiqui merito conser-
 vare studet historia: tamen in iure publico nihil refert,
 qualis vel Carolingicorum Imperatorum, vel proxime
 consecutis temporibus fuerit, cum nobis sufficere pos-

X 3

fit,

„ Anglia; quod *absoluti monarchae* ceremoniis colit ac suspicit re-
 „ gen; licet sit *adductum* iunc et temperatum. Vti autem fal-
 „ lit argumentum a mutatione *formas* ad mutationem *schematum*:
 „ ita, vinculum consecutionis est certissimum; si *ultima* mutata,
 „ etiam *primam* habuisse *metamorphosin.* „

fit, praesentem legibus satis esse definitum, nec Imperatorem alia, quam per electionem et pactum accepit, potestate recte vti posse. (u) Deinde territoria et provincias, ex quibus Germania hodie constat, non singulares respublicas hodie esse, sed partes vnius reipublicae, vel inde patet, quod non sunt independentes, (id quod ad respublicas singulares primario pertinet,) sed ex communi republica Germanica, pendet, et in eas nomine totius reipublicae, quidquid communis postulat salus, pro imperio decerni et statui, earundemque controuersae, non per modum arbitrii, sed vi iurisdictionis ordinariae dirimi, et iudicata executioni mandari possint. Idem inde patet, *quod ipsi status Imperii, sive vnius ciuitatis membra esse, profitentur: (x) quod leges Imperii fundamentales semper Imperium tanquam vnum corpus politicum nobis sistant: quod nisi vna summa potestas ciuilis, si commune totius corporis Germanici regimen spectes, non occurrit, quae ab Imperatore et concilio ordinum, in consultationibus, imperiis, iudiciis, (quae sunt praecipuae regendae reipublicae*

(u) Nec locus, nec institutum nostrum permittit, vt statum praesentem antiquo haud esse metiendum, si inter se discrepant, ex natura legum, per quas constituitur status, et quatum posteriores non possunt non prioribus derogare, vbi inter se pugnant, pluribus verbis explicemus, aut confusionem statuum et formularum, etiamsi accuratissime definiri possent, saluti reipublicae haud congruere, demonstramus.

(x) LUDOLPH. HUGO *de Statu regionum German.* L. II. §. 14.

blicae partes,) (y) *exercetur:* accurate censente ILLV-
STRI MASCOVIO. (z)

§. XLVII.

Quod autem de statu Germaniae publico post obi-
tum LVDOVICI INFANTIS, copiosissime praedica-
vit LVDEWIGIVS, (et nos ea etiam de causa propriis eius
verbis huc transtulimus, quod insigne specimen abusivae
historiae eiusque nominis sunt,) id cum testimoniis fide
dignis conveniat; nec ne? explorandum nunc etiam
est. At longe alium reipublicae statum et reliquisse
LVDOVICVM, et eo extincto fundatum atque fixum
esse, quam LVDEWIGIVS comminiscitur, reperie-
mus. Nam prout sibi falsa praepositione hac prae-
struere conatus est: *morsuo LVDOVICO; ultimo CA-
ROLINGICAE stirpis germine in Germania, hanc esse
adeptam libertatem, nec iure hereditario ium temporis
in Gallia superstibus CAROLI M. posteris obuenisse.*
Hoc eam ob causam statuit, quod LVDOVICI pii fi-
lios, *quam A. DCCCXXXIII, Meroduni regna et
terras patrias dividerent, omne ius succedendi, san-
guine acquisitum, sustulisset;* arbitratus est, (a) his du-
ctis rationibus:

(a) Quod fratres transigentes et diidentes stati-
bus uniuscuiusque regni vel provinciae pro-
distributoribus, seu distributoribus, vti sint;
quod

(y) HERTIVS in notitia singularis Reipublicae §. 15. Opusc. Vol.
I. F. H.

(z) Principiorum lib. publ. Lib. III. Cap. I. §. 3. sqq.

(a) In der rechtlichen Erläuterung der Reichs historie p. 56.

- (β) quod conditiones pacis non vna, sed pluribus linguis, descriptae, et
 (γ) aeterno iure transactum esse, in formulis dictum sit.

Enim vero vti priores rationes aperte vanae et ficulneae sunt, nec refutatione indigent: ita verborum *aeterno iure transactum esse*, (vbi exstant,) non alia vis esse potest, quam iure, quod quisque fratrum acquisiuit, eum nullo tempore esse fraudandum. Sed de hoc non quaeritur. Contra est in quaestione:

An transigentes fratres iuri succedendi renunciauerint?

Hoc ius succedendi cum sanguine acquisiuisent fratres, (LVDEWIGIO non negante,) et renunciatio facti, adeoque probanda sit, ex tabulis vero conuentionum nullus plane animus renunciandi appareat: perspicuum est, renunciationem illam non, nisi in opinione LVDEWIGII, factam, nec Germanos, LVDOVICO INFANTE vita discesso, sui iuris factos esse. Quid? quod inter fratres Anno DCCCXLVII. apud MARSNAM diserte conuenit:

Vi sibi mutuo auxiliantur.

Vt Regum filii legitimam hereditatem regni secundum definitas praesenti tempore portiones post eos retineant, et hoc quicumque ex his fratribus superstes fratribus fuerit consentiat: SI TAMEN IPSI NEPOTES PATRIS OBEDIENTES ESSE CONSENSERINT.

Et in adnuntiatione:

Nobis visum fuit, ut - - - sic simus inter nos, sicut fratres per rectum esse debent. Et pro certo

illud

illud sciatis, quia gratias Deo sic sumus, et sic permanere, adiuuante Deo, in ante volumus, et in consilio et in auxilio unusquisque erga alterum parati sumus adiutorium ferre, sicut fratres in Dei voluntate et communi profectu facere debent, in quibuscunque potuerimus. (b)

Quas foederis et amicitiae leges in altero conuentu apud MARSNAM (c) sic confirmarunt fratres, vt iuri succedendi renunciaſſe non magis ſint credendi, quam quilibet fratres, hereditatem diuidentes, mutuumque amorem, mutuum auxilium ſtipulantes et promittentes ſibi inuicem, contra de renunciatione ne cogitantes quidem, renunciaſſe, putari poſſunt. Vt haud opus ſit, multis verbis eam transactionis conditionem:

Si tamen ipſi nepotes patruiſ obedienter eſſe conſenſerint,

interpretari.

Tacemus pactum Conſluentanum A. DCCCLX. factum (d) Sed praetervehere non poſſumus ius ſuccedendi, quod perſecuti ſunt ſuperſtites fratres, eorumque filii, exſtineta linea vna aut altera. De qua iuris executione ſic teſtantur ANNALES FVLDENſES, METENſES, BERTINIANI, AIMOINVS, REGINO, MARIANVS SCOTVS, HVGO FLAVINIACENſIS, SIGEBERTVS GEMBLACENſIS, et alii plures, vt affectatiſſima ſit eius rei ignoratio, vel potius manifeſta

Y

(b) Vid. STEPH. BALVZII *Capitularia Regum Franc.* T. II. p. 42. 43.

(c) BALVZIVS l. c. p. 46.

(d) Quod vide ſis apud DV CHESNE T. II. p. 440. BALVZIVM l. c. p. 138. GOLDASTVM, *Conſtit. Imp.* T. I. p. 14. T. II. p. 25.

fecta veritatis historicae suppressio, si quis cum LVDEWIGIO iura succedendi, in regnis et prouinciis Carolingicis, ex sanguine profecta, per diuisionem filiorum LVDOVICI PII, deleta ait. Vix vllus praeter LVDEWIGIVM hoc dixerit, quin omnes vno ore, iam LVDOVICO II. IMPERATORE *defuncto*, prae CAROLO CALVO; ad LVDOVICVM GERMANICVM, *ex natalium praerogatiua*, Imperium cum Italiae regno *perpetuasse*, aiunt.

§. XLVIII.

His positis, fundamenta, quibus suum LVDEWIGIVS excitauit ius publicum, iam certe labascunt, si non corruunt. Corruent autem sine dubio, perfecta demonstratione, quam inchoauimus. Mortuo LVDOVICO INFANTE, nec recepisse se libertatem, cogitare poterant, iuris quod Galli habebant satis conscii Germani, nec si cogitassent, illi tuendae pares erant, hinc a Gallis, illinc ab Hunnis omnia metuentes: nec reipublicae tam scite constituendae, quam constitutam fingit LVDEWIGIVS, satis idonei, satis prudentes, satis gnari discriminis inter homagium et vasallagium, inter subiectionem et fidem feudalem, ex scriptoribus illorum temporum apparent, si quidem illud discrimen illam vix cognouisse aetatem, vel ipsa vox *homagium*, et *hominium* ostendit, quae nihil aliud notat, quam professionem fidei et obsequii, quam homo seu vasallus domino feudali praestat. Vid. CANGII Glosarium Latin. med. aevi, voce HOMINIVM. Audiamus ipsa testimonia incorrupta, non interpollata, non
glossa;

glossata, siue non ita explicata, vt praeconceptis opinionibus necessario seruiant.

§. XLIX.

LVITPRANDVS Lib. II. Hist. Cap. VII. CONRADVS, ait, *Francorum ex genere oriundus, rex CUNCTIS A POPVLIS ordinatur. Sub quo potentissimi principes, ARNOLDVS in Boioaria, BURCARDVS in Sueuia, EVERHADVS, Comes potentissimus in Francia, GISELBERTVS Dux in Lotharingia erant. Quos inter HENRICVS Saxonum et Thuringorum Dux praepotens clarebat. Secundo itaque regni huius susceptionis anno, memorati principes huic, praesertim HENRICVS, REBELLES extiterant. Quos CUNRADVS rex tam sapientiae vigore, quam fortitudinis robore superauit, suamque ad fidelitatem perduxit.*

§. L.

DITMARVS MERSEBURGENSIS, apud LEIBNITIVM, *Scriptor. rerum Brunsvic. T. I. p. 325. Ea tempestate CONRADVS Francorum quondam Dux egregius, et tunc LVDOVICI successor PVERI, arcem tenebat regni, quem ob meritum sui OTTO praedictus, AB OMNIBVS REGNI PRINCIPIBVS IN REGEM ELECTVS, sibi quasi ad hoc indigno praeposuit, seque cum filiis FIDEI SVAE AC POTESTATI SVBDIDERAT. Paulo ante narrauerat: Cuiusdam matronae famam, quae HATHEBURCH dicebatur, HENRICVS (OTTONIS filius) comperiens, qualiter eam sibi sociaret, iuuenili exarsit amore. - - - Ob huius pulchritudinem, et hereditatis*

diuitiarumque utilitatem, internuncios HENRICVS quam propere misit, et quamuis banc esse viduam sciret velatam, suae tamen ut satisfaceret voluntati, eam fide promissa petiuit. - - - Nuptiis ex more peractis, sponsus cum contorali ad Merseburg venit. Spirituallis autem pater et pastor Orientalium tunc fuit Sigismundus, sanctae Halberstadiensis ecclesiae praesul, - - ut perpetrati facinus connubii primo audiuit, - - - aliquam inter se fieri amplius commixtionem - - banno Apostolicae autoritatis interdicens, ad condictam ambos Synodum vocauit. HENRICVS tali rumore turbatus, ad Imperatorem properauit, omnemque indicans ei rem ordine, auxilium eius petiuit, et familiaris ei fuit, et patris commisso ac fideli seruitio, impetrauit. Nam legato ad antistidem concite directo, ut vinctos solueret, et ad suimet praesentiam differret postulauit. Post haec OTTONE secund. Calend. Decemb. carnis uniuersae viam intrante, saepe memoratus iuuenis, (HENRICVS) in vacuum succedens, haereditatem iure et maximam beneficii partem gratuito regis suscepit ex munere, et quod ei defuit, cum suis omnibus aegre tulit, ac postea sicut cum tritico lolium, sic ex eo latentis odii filix excreuit. Vel solus hic locus destruit illam, his temporibus ignoratam differentiam inter subditi et vasalli fidem, atque domini territorialis et feudalis potestatem. Quandoquidem et OTTONEM patrem se cum filio CONRADI potestati subdidisse, et filium CONRADI auxilium in caussa etiam connubii implorasse, et maximam beneficii partem gratuito regis ex munere suscepisse, testatur.

§. LI.

WITTICHINDVS CORBEIENSIS *Annal. Lib. I.*
 (e) *Vltimus CAROLORVM apud ORIENTALES*
 FRANCOS (f) *Imperantium, LOTHOWICVS EX AR-*
 NVLFO *fratruele KAROLI, huius LOTHARII regis*
proavi, natus erat. Qui cum accepisset uxorem nomi-
ne Luitgardam, sororem BRVNONIS ac magni Ducis
 OTTONIS, *non multis post haec vixerat annis.*
Horum pater erat LVIDOLFVS. - - Ex quibus BRV-
